F. THOMÆ M. MAMACHII
ORD. PRÆDICATORUM

DE EPISCOPATUS HORTANI ANTIQUITATE

AD HORTANOS CIVES

LIBER SINGULARIS

ROMÆ MDCCLIX

EXCUDEBANT FRATRES PALEARINII
PUBLICA AUCTORITATE

F. THOMÆ MARIÆ MAMACHII
AD CLER. ORD. P. Q. HORTANUM

PRÆFATIO

QUUM *dudum Paulus Roſcius Canonicus, & civis veſter vir clariſſimus veſtro nomine ex me quaeſiſſet, utrum ego Epiſcopatum antiquiorem eſſe judicarem Hortanum, an Caſtellanenſem; litrogaſſetque, ut quae eadem de re ſentirem, litteris explicare vellem; memini me reſpondiſſe, fore ut vobis, cum otium nactus eſſem, cumula-*

tissime satisfacerem. Quo ex tempore, etsi nihil optarim magis, quam ut mihi tantum temporis, spatiique daretur, quantum satis ad liberandam fidem, quam vobis obligaram, esset; fui tamen tot rebus, tamque gravibus impeditus, ut de quaestione ista vestra momentum mihi vix ullum vacuum ad cogitandum, ad scribendum autem, ne vix quidem esse videretur. Quod si grave fortasse vobis, mihi certe permolestum fuit. Ego enim, qui memoria tenebam, quam semper promti Roscii Cives vestri, paratique fuerint ad ea suscipienda, quæ mihi grata futura arbitrarentur; quique non idem pro vobis effici a me posse perspiciebam, quo id demum modo tulissem moderate, cum ferendos numquam putarim eos, qui officio, studio, diligentia ab aliis, imprimisque ab amicis vinci se sinerent? Itaque curavi, ut, quam possem citius, ab ceteris me rebus expedirem, daremque operam, ut optaram, vobis. Quod etsi aegre, ac serius, quam putaram, at aliquando saltem summa mea voluptate sum consequutus. Nunc igitur, cum vobis vacem, ordiar, ut jussistis de Horta scribere. Mittam au-

tem,

temporis quae de S. Cassiano urbis vestræ Episcopo a multis tradita in Antiquitates Hortanas *transtulit Justus Fontaninius Archiepiscopus Ancyranus, non quo falsa esse defendam, sed quo sentiam, niti nos iis documentis non oportere, quæ non ab adversariis vestris modo, sed etiam ab aliis quibusdam in controversiam revocari scimus. Non enim est iis monumentis opus, si certa nobis, omnibusque probata suppetant, quæ sequamur. Ac certorum monumentorum genera esse video omnino duo, quorum alterum urbis demonstrat, alterum Ecclesiæ, & Episcopatus Hortæ antiquitatem. Quae quidem ita nexa, atque conjuncta sunt, ut prius nobis muniat ad alterum magis, magisque constabiliendum viam. Quorum utroque, cum Episcopatum Hortanum antiquissimum esse perfecero; tum ad Castellanensem descendam, ostendamque esse hunc Hortano multis seculis recentiorem.*

CA-

CAPUT PRIMUM.

I. Hortæ urbis meminit Plinius. II. Quam esse vetutustissimam antiqua monumenta, quæ in ea passim reperiuntur, demonstrant. III. Colonia fuit Romanorum. IV. Sexto, insequentibusque seculis a Scriptoribus Ecclesiasticis celebrata est. V. Muros ejus qui, propter vetustatem ceciderant, multo ante fuisse restitutos constat, quam nominari Castellana Civitas coepisset.

HORTÆ Urbis meminit Plinius in III. Historiæ naturalis *libro* [1] „ Fescennia, *inquit*, HORTANUM, Herbanum, Nepet „. Quibus ex verbis intelligitur, eodem in tractu Nepet, Fescenniam, *Hortanumque* fuisse, adeoque idem hoc esse atque *Hortam urbem*. Nulla enim est ratio, quamobrem quisquam contra esse statuendum putet. Nam in eo tractu alium, præter Hortam, locum, in quem appellatio *Hortani* caderet, reperire, nisi cavillando, non possumus.

II. Atque hanc ipsam esse Hortam, cujus est a Plinio in Historia facta mentio, tot vetera rudera, totque inscriptiones antiquæ, quæ ibidem repertæ sunt; pons item antiquus, cujus adhuc reliquiæ supersunt; columnæ denique structiles, quæ caussa tuendæ contra vim, impetumque aquarum utriusque ripæ fluminis perfectæ fuerant, quæque vulgo *le pile di Augusto* appellantur [2], magno esse argumento debent. Quæ quidem monumenta tam late descripta, tamque præclare illustrata a Fontaninio sunt,

ut

1 *Cap.* VIII. *pag.* 321. *tom.* 1. *edit. Paris. Hard. an.* 1685.
2 *Vide Fontanin. de Antiq. Horta lib.* 1. *cap.* 1. *seqq.*

ut qui ea rursum proferre, atque explicare velit, næ is frustra laborem suscipere videatur.

II. Non est tamen mihi prætermittenda vetus illa sane, ac celebris de *Colonia Hortana* inscriptio, quam e schedis Barberiniis ann. 1699. diligenter descriptam Fabrettus edidit Inscript. Antiq. Explic. cap. v. n. 302. pag. 402. edit. Rom. Sic autem habet.

MAVORTI . VLTORI
Q. NINNIVS . Q. F. QVIR. PAETVS
II. VIR. COLON. ORTANAE
AVG. ET . VI. VIR . AVGVSTAL
QVINQVEN. II. SACRVM

Atque ex hac quidem inscriptione, quam ORTANAM diligentissimus Fabrettus *ibid.* vocat, recte conclusum a Fontaninio est, in septem, ac viginti urbibus, in quas ab Augusto Coloniæ militum ductæ fuerant, numerari Hortam oportere [1]. Neque est, cur quisquam miretur, veterum, qui hanc Coloniam memorarint, fuisse neminem. Nam Scriptores ejus ætatis, etsi numeri meminerint Coloniarum, nomina tamen taciti præterierunt. Quamobrem autem præterierint, ex Vellejo Paterculo intelligi plane potest. Quod enim notum, pervulgatumque ea ætate erat, quodque publicis monumentis, quæ postea temporum injuria perierunt, continebatur, id historiarum monumentis mandandum non putarunt, Sribit enim Vellejus *lib.* I. *Histor. cap.* XIV. *pag.* 5. *edit. Lugd. Batav. an.* 1653. hoc modo: „ Statui . . . huic „ loco inserere, quæ quoque tempore, post Ro- „ mam,

1 *Ibid. lib.* I. *cap.* II.

„ mam a Gallis captam deducta sit Colonia juss Se-
„ natus: NAM MILITARIUM, & CAUSSÆ, & AUCTO-
„ RES, & IPSARUM PRÆFULGENT NOMINA „. Cavendum autem cuique est, ne Sponio assentiatur, qui in *Miscell. Erud. Antiq. pag.* 174. inscriptionem eandem e schedis Barberiniis proferens *Ortonæ*, non *Ortanæ* scribit. Hunc namque, qui vetera epigrammata oscitans [1] legere consueverat; Fabretto, cujus perspecta est omnibus fides, & diligentia, quique *Ortanæ* legit, præferre non licet.

IV. Sexti seculi initio hoc est anno 502. in Synodo Romana sub Symmaco fit Hortæ, quod alio loco ostendetur, commemoratio. Medio autem sexto seculo, cum Vigilius Ecclesiam moderaretur, Belisarius Patricius (quod Anastasius Bibliothecarius in *Vigilio* [2] scribit) *fecit Xenodochium .... in via Flaminia juxta Civitatem Hortas*. Extremo fere seculo VI. cum Gregorius Magnus Pontificatu Romano potitus esset, ut est auctor Paulus Diaconus *lib.* IV. *Historiæ*
„ [3] Romanus Patricius Exarchus Ravennæ Romam
„ properavit, qui dum Ravennam revertitur, re-
„ cepit civitates, quæ a Longobardis tenebantur,
„ quarum ista sunt nomina: Sutrium, Polimartium,
„ HORTA, Tudertum, Ameria &c. „ Floruit Paulus Diaconus seculo Ecclesiæ VIII. Non discrepant, quæ tradit Anastasius Bibliothecarius, sive quisquis demum est libri Pontificalis IX. seculi Scriptor in *Gregorii Magni* vita [4] „ Eodem tempore venit Romanus Pa-
„ tri-

1 Vide quam graviter Sponius hoc in genere peccare solitus fuerit, apud Fabrettum *ibid. pag.*442. *seqq. & pag.*480.
2 *Tom.*III. *Scriptor. Rer. Italicar. pag.* 131. *edit. Murat. Mediol. an.*1723.
3 *Pag.*455. *tom.*I. *Script. Rer. Ital. edit. ejusd.*
4 *Tom.*III. *Script. Rer. Ital. pag.*134. *edit. ejusd.*

„ tacius, & Exarchus Romam, & dum reverteretur Ravennam, retinuit civitates Polimartium, „ *Hortas*, Tudertum, Ameriam, Perusiam, Luceoris, & alias multas „. Ameriam autem, Sutrium, Polimartium, Tudertum quis neget, eodem in tractu, atque *Hortam* esse? In Peutingeriana tabula antiqua quidem illa, ac celebri *Segm.* v. *&* iv. *edit. Vindobon. an.* 1753. adnotatum est: Roma Ameriam via Amerina proficiscentibus priore loco occurrere *Vejos*, inde *Bacanas*, mox *Nepe*, deinceps *Falerios*, proxime *Castellum Amerinum*, quod modo *Bassanellum* appellatur, deinde *Ameriam*, post *Tudertum &c.* Jam vero inter Nepesinos, Faleriosque ad occidentem Solem vergens, in via quidem Clodia, seu Claudia, vel potius Cassia Sutrium ponitur. Quod ipsum legere in Itinerario Antonini licet: Nam in *Itinere a Luca Romam per Clodiam pag.* 286.[1] *post Cassii forum* Sutrium memoratur. Quum igitur a Plinio *Hortanum*, *Hortaque* a Paulo, & Anastasio cum urbibus Nepet, Ameria &c. numeretur, quid est, quod Hortam quisquam ibi fuisse aut neget, aut dubitet, ubi sita nunc est inter Falerios, & Ameriam, a via tamen regia paullulum deflectentem? Qua ex re factum arbitror, ut ea ab antiquis Geographis plerisque omnibus, qui urbes littorales, inque viis regiis constitutas describere solebant, omitteretur. Quorum quidem silentium detrimento Hortanis esse non potest. Plus enim unius Plinii ajentis auctoritas valet, quam ceterorum sive Geographorum, sive Historicorum tacentium. Quod si quemquam id silentii genus movet; caveat is profecto, ne Ocricolum, Narniam, Inter-

B am-

1 *Edit. Amstel. an.* 1735.

„ mam a Gallis captam deducta ſit Colonia juſſ Se-
„ natus : NAM MILITARIUM , & CAUSSÆ , & AUCTO-
„ RES , & IPSARUM PRÆFULGENT NOMINA „ . Caven-
dum autem cuique eſt , ne Sponio aſſentiatur , qui in *Miſcell. Erud. Antiq. pag.* 174. inſcriptionem eandem e ſchedis Barberiniis proferens *Ortonæ* , non *Ortanæ* ſcribit . Hunc namque , qui vetera epigrammata oſcitans [1] legere conſueverat ; Fabretto , cujus perſpecta eſt omnibus fides , & diligentia , quique *Ortanæ* legit , præferre non licet .

IV. Sexti ſeculi initio hoc eſt anno 502. in Synodo Romana ſub Symmaco fit Hortæ , quod alio loco oſtendetur , commemoratio . Medio autem ſexto ſeculo , cum Vigilius Eccleſiam moderaretur , Beliſarius Patricius (quod Anaſtaſius Bibliothecarius in *Vigilio* [2] ſcribit) *fecit Xenodochium . . . . . in via Flaminia juxta Civitatem Hortas* . Extremo fere ſeculo VI. cum Gregorius Magnus Pontificatu Romano potitus eſſet , ut eſt auctor Paulus Diaconus *lib.* IV. *Hiſtoriæ*
„ [3] Romanus Patricius Exarchus Ravennæ Romam
„ properavit , qui dum Ravennam revertitur , re-
„ cepit civitates , quæ a Longobardis tenebantur ,
„ quarum iſta ſunt nomina : Sutrium , Polimartium,
„ HORTA , Tudertum , Ameria &c. „ Floruit Paulus Diaconus ſeculo Eccleſiæ VIII. Non diſcrepant , quæ tradit Anaſtaſius Bibliothecarius, ſive quiſquis demum eſt libri Pontificalis IX. ſeculi Scriptor in *Gregorii Magni* vita [4] „ Eodem tempore venit Romanus Pa-
„ tri-

1 Vide quam graviter Sponius hoc in genere peccare ſolitus fuerit , apud Fabrettum *ibid. pag.*442. *ſeqq. & pag.*480.
2 *Tom.*III. *Scriptor. Rer. Italicar. pag.* 131. *edit. Murat. Mediol. an.*1723.
3 *Pag.*455. *tom.*I. *Script. Rer. Ital. edit. ejuſd.*
4 *Tom.*III. *Script. Rer. Ital. pag.*134. *edit. ejuſd.*

„ tacius, & Exarchus Romam, & dum revertere-„ tur Ravennam, retinuit civitates Polimartium, „ *Hortas*, Tudertum, Ameriam, Perusiam, Luceo-„ ris, & alias multas „. Ameriam autem, Sutrium, Polimartium, Tudertum quis neget, eodem in tractu, atque *Hortam* esse? In Peutingeriana tabula antiqua quidem illa, ac celebri *Segm.* v. *&* IV. *edit. Vindobon. an.* 1753. adnotatum est: Roma Ameriam via Amerina proficiscentibus priore loco occurrere *Vejos*, inde *Bacanas*, mox *Nepe*, deinceps *Falerios*, proxime *Castellum Amerinum*, quod modo *Bassanellum* appellatur, deinde *Ameriam*, post *Tudertum &c.* Jam vero inter Nepesinos, Faleriosque ad occidentem Solem vergens, in via quidem Clodia, seu Claudia, vel potius Cassia Sutrium ponitur. Quod ipsum legere in Itinerario Antonini licet: Nam in *Itinere a Luca Romam per Clodiam pag.* 286.[1] *post Cassii forum* Sutrium memoratur. Quum igitur a Plinio *Hortanum*, *Hortaque* a Paulo, & Anastasio cum urbibus Nepet, Ameria &c. numeretur, quid est, quod Hortam quisquam ibi fuisse aut neget, aut dubitet, ubi sita nunc est inter Falerios, & Ameriam, a via tamen regia paullulum deflectentem? Qua ex re factum arbitror, ut ea ab antiquis Geographis plerisque omnibus, qui urbes littorales, inque viis regiis constitutas describere solebant, omitteretur. Quorum quidem silentium detrimento Hortanis esse non potest. Plus enim unius Plinii ajentis auctoritas valet, quam ceterorum sive Geographorum, sive Historicorum tacentium. Quod si quemquam id silentii genus movet; caveat is profecto, ne Ocricolum, Narniam, Inter-

B am-

1 *Edit. Amstel. an.* 1735.

ramniam urbes nullas VII. vel VIII. seculo fuisse f[...]eri cogatur, propterea quod Anonymus Ravennas, qui oppida Italiæ ea ætate descripsit, earum nusquam meminerit. Atque is Anonymus, qui ut dixi, utque est a Porcheronio Cl. Viro ejus librorum editore animadversum, VII. Ecclesiæ seculo floruit, *libro* IV. *pag.* 214. *edit. Parif. an* 1688. urbes ejus, quem paullo ante memoravi, tractus enumerans: *Tuder*, inquit, *Ameria*, HORTAS, *Faleris*, *Galenese*, *Nepe*. Rursum Anastasius (in *Zacharia* [1], qui medio seculo VIII Pontificatu perfunctus Maximo fuit) *A* (Trasymundo) *rege*, inquit, *ablatæ sunt a Romano ducatu civitates quatuor, idest Ameria*, HORTAS, *Polimartium, Blera*; & paullo post: *Qui dum in* HORTANAM *convenisset civitatem, ipseque rex ejus cognovisset adventum, misit Grimoaldum missum suum, qui ei obvius factus usque ad Narniensem perduxit civitatem*. Et pag. 162. *In primis Amerinam Civitatem, deinde* HORTANAM, *dumque in Polimartio castro convenissent, eumque recepisset, & fuisset itineris longitudo per circuitum finium Reipublicæ eundi usque ad Bleranam Civitatem per partes Sutrinæ Civitatis &c.* Quod autem rem magis, magisque statuit, atque confirmat, illud profecto est, quod idem scribit Anastasius in Leone IV.

V. Numero enim CV. *pag.* 242. *tom.* III. *Scriptor. Rer. Italicar.* „ in HORTANÆ, inquit, & Amerinæ „ VALDE ANTIQUARUM CIVITATUM, quarum muri, ac „ portæ PRÆ NIMIA VETUSTATE temporum usque ad „ solum ciciderant, & funditus destitutæ manebant, „ quas modo fures, modo latrones ingredi patentibus „ adi-

1 *Tom.* III. *Script. Rer. Ital. pag.* 161.

„ a[illegible]itis nullo resistente custode facilius poterant, „ ip[illegible]æ adèo solertissimus Præsul tantam civitatum „ [illegible]ædictarum urbium cognoscens incuriam, eas, „ quas prætitulavimus civitates hortatu suo, ac studio muris novis, portisque prioribus minime dissimilibus ad pristinum locum, statumque gratia „ corroboratus divina reduxit „. Videtisne ut Hortam cum Ameria comparet, faciatque utramque vetustate parem? Quemadmodum autem duas illas Urbes seculi IX. Scriptor UALDE ANTIQUAS appellasset, earumque muros præ NIMIA VETUSTATE *ad solum usque cecidisse* affirmasset, quarum alterutram censuisset esse recentiorem Augusti temporibus? Fuisset enim perridiculum *valde antiquam Civitatem* dicere, quam ante novem secula conditam non putasset. Dandum igitur omnino est, Hortam urbem (quam Anastasius idem in *Benedicto III. pag.* 248. *quadragesimo a a Roma milliario distare* scribit) ante fuisse conditam, quam esset in Italiam inlatum Christianum nomen. Quamquam non dubito, quin multo etiam sit antiquior. Sed est, quod mihi nunc sumo, ad meum institutum satis. Non est autem opus posterioris ætatis monumenta persequi. Sunt enim magnam partem descripta in extremo opere *de Antiquitatibus Hortæ* a Fontaninio. Jam hoc tenetis Hortam antiquam sane urbem, & copia veterum monumentorum illustrem esse.

CAPUT SECUNDUM.

Hortanam Ecclesiam, & Episcopatum repeti ab Apostolorum tempotibus oportere, simile esse veri demonstratur.

NUnc de antiquitate Ecclesiæ, & Episcopatus Hortani, ut potero, explicabo brevi. Sic autem censeo: fuisse Episcopum Hortanis datum, cum Christiani esse Hortæ cœperunt. Quare si qui fuerunt in ætate Apostolorum in ea urbe Christianis sacris initiati, ii quidem certe Episcopum habuerunt. Nam Apostoli *primitias* eorum, quos Christo in quaque urbe conciliassent, Episcopos constituere consueverant. Cujus rei Clemens Romanus Petri auditor in *Epistola ad Corinthios prima* testis est locuples. *Numero* enim XLII. *pag.* 29. *tom.* I. *Collect. Epistolar. Rom. Pontificum Editionis Coustantii an.* 1721. „ Prædicantes, *inquit*, (Apostoli) per regiones, ac urbes, „ primitias earum spiritu cum probassent in EPISCOPOS, & Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt „. Jam vero in urbe, quæ XL. circiter millia passuum Roma distabat, quis neget, veri esse simile, jam usque ab eo tempore, quo Petrus in Italia Christianum nomen latissime propagavit, fuisse aliquos, qui baptismo initiati Christo se devovissent? Puteolisne, quod oppidum tam longe ab urbe abesset, Christianos reperisse Paulum, quisquam, ajente Luca, inficietur? *Act. cap.* XXVIII. *vers.* 143. *seq. Venimus Puteolos; ubi inventis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem.* Si autem Puteolis Christiani, antequam Paulus in Italiam navigasset, flore-

florebant; quid est, quod Hortæ quisquam nullos floruisse pugnet, quum revocari in controversiam nequeat, Petrum omni ope curasse, ut præsertim in urbes, locaque Romæ proxima vera religio induceretur? Quod si medio fere secundo seculo, ut est ab Justino Martyre ejus ætatis illustri Scriptore consignatum litteris, locus, immo vero angulus fere orbis terrarum nullus erat, qui Christianis vacaret; Hortæ ne, quæ propinqua Urbi reliquarum omnium principi, dominæque erat, ac proinde in Christianorum Romanorum oculis, inque tanta hominum luce versabatur, nullos fuisse credemus, qui abjecta superstitione, sacris se nostris adstrinxissent? Sunt autem Justini verba: *In Dialogo cum Tryphone n.* CXVII. hujusmodi [1] „ Nullum omnino genus est sive Græcorum, sive Barbarorum, sive quolibet nomine appellentur, vel Hamaxobiorum, qui in plaustris degunt, vel Nomadum, qui domibus carent, vel Scenitarum, qui pecora pascentes habitant in tentoriis, nullum, inquam, ejusmodi genus est, in quo non per nomen Crucifixi Jesu preces, & gratiarum actiones Patri, & Creatori universorum fiant „. Quin etiam Hermas, qui seculo Ecclesiæ I. floruit, in eo libro, quem *Pastorem* inscripsit *lib.* III. *cap.* IX. *num.* XVII. *pag.* 290. *tom.* I. *Apostolicor. PP. Edit. Londin. an.* 1746. „ Universæ, *inquit*, nationes, quæ sub cælo sunt, audierunt, & crediderunt, & uno nomine filii Dei vocati sunt „. Jam vero Lactantius, sive quisquis demum est Lucius ille Cæcilius, qui quarto seculo imperante Constantino librum *de Mortibus Persecutorum* perscripsit,

cap. I.

1 *Pag.* 222. *edit. Venetæ an.* 1747.

cap II, *pag*. 184. *tom*. II. *opp. edit. Parif. an*. 1748. " Di-
" fcipuli, *inquit*, qui tunc erant undecim, " fum-
" tis in locum Judæ proditoris Matthia, & Paulo,
" difperfi funt per omnem terram ad Evangelium
" prædicandum, ficut illis magifter Dominus im-
" peraverat, & per annos XXV. ufque ad principium
" Neroniani Imperii per omnes Provincias, & CI-
" VITATES Ecclefiæ fundamenta miferunt: Cumque
" jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, &
" editis quibufdam miraculis, quæ virtute ipfius Dei,
" data fibi ab eo poteftate, faciebat, convertit mul-
" tos ad juftitiam, Deoque templum fidele, ac fta-
" bile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum
" animadverteret non modo Romæ, fed UBIQUE
" quotidie magnam multitudinem deficere a cultu
" idolorum, & ad religionem novam, damnata ve-
" tuftate tranfire, ut erat execrabilis, ac nocens ty-
" rannus, profilivit ad excidendum cælefte templum.

CAPUT TERTIUM.

I. Quod fi demus fecundo, tertiove feculo Hortanorum aliquos ad Chriftiana facra acceffiffe; eos certe jam ufque ab eo tempore Epifcopos habuiffe, fateamur neceffe eft. II. S. Lannus fub Diocletiano paffus Epifcopus Hortanorum fuit.


I. DEmus autem nullos primo feculo fuiffe Chriftianos Hortæ. Quid? an ne fecundo quidem, cum omnia orbis loca plena Chriftianorum effent? Lactantius ecce libro, quem modo indicavi *cap*. III. *pag*. 187. " Refciffis, *inquit*, actis tyranni (Domi-
" tiani)

„ timi) non tantum in ſtatum priſtinum Eccleſia re-
„ ſtituta eſt, ſed etiam multo clarius, ac floridius
„ effloruit; ſecutiſque temporibus, quibus multi, ac
„ boni principes Romani Imperii clavum, regimen-
„ que tenuerunt, nullos inimicorum impetus paſſa,
„ manus ſuas in ORIENTEM, OCCIDENTEMQUE por-
„ rexit, ut jam nullus eſſet TERRARUM ANGULUS
„ tam REMOTUS, quo non RELIGIO DEI PENETRASSET,
„ nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut
„ non ſuſcepto Dei cultu ad juſtitiæ opera miteſce-
„ ret „. Homines omnium ferociſſimos, immaniſ-
ſimoſque Hortanos fuiſſe, adverſariorum ſententia,
oportet, ut qui cum angulus nullus in orbe terra-
rum eſſet, in quo non aliqui Chriſtiani reperirentur,
in ea urbe ne perpaucos quidem ſecundo ſeculo, ter-
tiove vixiſſe putent. Lactantio præiverat Plinius
Scriptor Ethnicus, & Trajani Cæſaris æqualis. Is
libro X. *epiſt.* XCVII. *pag.* 631. *edit.* *Lipſ.* *an.* 1711. de
Chriſtianis agens: „ Multi, *inquit*, omnis ætatis, om-
„ nis ordinis, utriuſque ſexus etiam, vocantur in
„ periculum, & vocabuntur. Neque enim Civita-
„ tes tantum, ſed Vicos etiam, atque agros ſuper-
„ ſtitionis (*ſic enim veram appellabat religionem*) iſtius
„ contagio pervagata eſt „. Tertullianus *Apologet.*
cap. XXXVII. *pag.* 115. *edit.* *an.* 1745. „ Heſterni ſumus,
„ *inquit*, & veſtra omnia implevimus Urbes, Inſu-
„ las, Caſtella, Municipia, Conciliabula, Caſtra
„ ipſa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Fo-
„ rum. Sola vobis reliquimus templa „. Et *lib.* I. *ad*
Nation. *cap.* I. *pag.* 40. *ſeq.* Ethnicos alloquens: „ Ob-
„ ſeſſam, *inquit*, vociferamini civitatem: in agris,
„ in caſtellis, in inſulis Chriſtianos „ Et *lib.* *Adver-*

ſus

ſus Judæos cap. VII. *pag.* 189. In quem alium univerſæ
„ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam ve-
„ nit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Par-
„ thi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſo-
„ potamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam,
„ & incolentes Pontum, & Aſiam, & Pamphiliam,
„ immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, &
„ trans Cyrenem inhabitantes, Romani, & incolæ
„ tunc & in Hieruſalem Judæi, & ceteræ gentes, ut
„ jam Getulorum varietates, & Maurorum multi
„ fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum
„ diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Roma-
„ nis loca, Chriſto vero ſubdita, & Sarmatarum,
„ & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, &
„ additarum multarum gentium, & provinciarum,
„ & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ
„ enumerare minus poſſumus; in quibus omnibus
„ locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat „.
Hæc ille extremi ſecundi, ineuntiſque ſeculi tertii præclarus Scriptor. Atque eo tempore Epiſcopi *Nationum* creari Romæ imprimis conſuerant, ut novis Eccleſiis, ſi quas tum conſtitui contigiſſet, præficerentur. Quo ex genere Epiſcoporum Gajum Presbyterum Romanum fuiſſe conſtat. Confer Photium *Codic.* XLVIII. *pag.* 38. *Bibliotheca edit. an.* 1652. Quod ſi tam late propagata tum Chriſtiana Religio ubique terrarum erat, ut vel in vicis quibuſque Chriſtiani eſſent; eorum nullos Hortæ, quæ urbs tam prope Roma aberat, viguiſſe; vel ſi viguerunt, Epiſcopum non habuiſſe, quis credat? Medio ne tertio ſeculo e *viliſſima exiguaque parte Italiæ Epiſcopos tres fuiſſe a Novatiano accitos* Cornelio Pontifice affirmante

Epiſt.


LANNVS XPI·MA
RTIR HC REQVIESC
IT·SVB
E·P·S
ano
PASSUS

Epist. ad Fab. Antioch. apud Euseb. lib. VI. *cap.* XLIII. *Hist. Eccl.* assentiar, Hortæ autem quæ urbs celebris illustrisque erat, unum aliquem ea dignitate claruisse non item assentiar?

II. At desunt monumenta. Nego enim vero. Extremo enim seculo III. atque ineunte IV. non solum Christianos floruisse Hortæ, sed Episcopum etiam obtinuisse veterum monumentorum auctoritate liquet. Bassanellum locus est Horta IV. fere mill. pass. distans. In eo autem loco an. 1628. die 25. Martii jussu Angeli Gozzadinii Hortani Episcopi apertum sepulcrum S. Lanni, in eoque inventa lateritia tabula fuit, in qua est scriptum hoc modo:

✠

LANNVS XPI Ma

RTIR HIC REQVIESC

IT SVB |E.P.S| DIOCLITIANO

PASSVS

Hanc inscriptionem, cujus quidem schema adjuncta tabula exhibet, non esse quarto seculo, quo Lannus decessit, recentiorem, indicio esse forma characterum debet. Nam erat tunc quidem ea in usu, ut ex altera in cœmeterio Cyriacæ inventa, quam mox describam, perspicitur. Fuit enim hæc marmori insculpta Urso, & Polemio Consulibus, anno videlicet aeræ Christianæ 338. cum Julius I. Pontificatu Maximo fungeretur. Affertur autem a Boldetto *tom.* I. *delle Osserv. sopra i Cimiter. lib.* I. *cap.* XIX. *pag.* 84. *edit. Romanæ an.* 1720. sic autem habet:

ANIME INNOCEN
TI GAVDENTIAE QVE VI
XIT AN. V. M. VII. D. XXI. IN PACE
Mercurius Pater Filiae v. idus Novemb.
Urſo, & Polemio Coſs.

Quin etiam characterum figuræ, quibus poſtrema hæc verba *Mercurius Pater Filiæ* v. *idus Novemb. Urſo, & Polemio Coſs.* in altera hac inſcriptione exprimuntur, multo ſunt rudiores, quam eæ, quæ cernuntur in Epigrammate Lanni, ut ex adpoſita tabula intelligi plane poteſt. Quum igitur ſub Diocletiano Martyras Horta habuerit (nam eſt is locus in Diœceſi Hortana, eſtque S. Lannus patronus Hortæ) quid eſt, quod quiſquam eam urbem eadem ætate Epiſcopo, & Eccleſia caruiſſe cenſeat? Eſt autem incredibile, repente tunc natos fuiſſe Chriſtianos Hortæ. Ante initium igitur quarti vel ante exitum III. ſeculi, quo paſſus eſt Lannus, adeoque extremo ſaltem tertio ſeculo Chriſtiani ibidem fuerint, neceſſe eſt. Quid? ſi idem Lannus Epiſcopus Hortanorum fuerit? Nam τὸ E. P. S. præterquam *Epiſcopum*, quid aliud indicare queat, ne ſuſpicari quidem poſſumus. Atque his tribus litteris E. P. S. majores noſtros, ut *Epiſcopum* indicarent, uti conſueſſe, cum ex aliis multis Inſcriptionibus, tum ex hac potiſſimum IV. ſeculi, quam affert Muratorius *to.* IV. *Theſauri Antiqu. p.* MDCCCLVI. *num.* 7. perſpicitur:

T. I.

ANIMEINNOCEN
TIGAVDENTIAEQVEVI
XIT AN · V M · VII ~~D~~ XXI IN PACE

L'ultima riga si legge in questa maniera

MERCVRIVS PATER FILIÆ V. IDVS NOVEMB: VRSO, ET POLEMIO COSS:

T. I. X. N. EGO DAMASI
VS VRB. ROME EPS AN
CCOMV CONSECRAVI
..... N. R. Q. S. M. PA. S. PE.

Hoc est *Titulus* in *Christi nomine*. *Ego Damasius Urbis Romæ Episcopus hanc domum consecravi &c.* Quum autem IV. seculo τὸ EPS. idem atque *Episcopus* significaret, non hercle video, cur non item in inscriptione s. Lanni quæ seculo eodem ineunte perfecta est, τὸ E. P. S. Episcopum significare non debeat. Jam reliquæ inscriptiones, etsi recentiores aliquanto sint, ad rem tamen illustrandam conferunt. Nam Martini Episcopi, quam a Donio accepit Muratorius, transtulitque in *tom.* IV *Thesauri Antiquitatum pag.* MCMX. *n.* 2. hujusmodi est.

HIC REQVIESCIT MARTIN
EPS ET MONACHVS
ROGO VOS OMS QVI HINC
TRANSITIS ORAE PRO ME
ANC TVBAM PRVDENS
QVICVQVE RVPERE CERTAT
CVM IVDA GEMITVS EXPERIE
TVR INOPS
OBIIT XII. KL MARTII

Mitto reliquas . Interdum pro EPS. veteres EPC ſcribebant . Confer Murarorium *ibid. pag.* MDCCCLXXXVIII. *num.* 8. & *pag.* MDGCCLVII. & *pag.* MCMXLVI. *num.* 2. & *pag.* MCMLV. *num.* I. & *pag.* MCMLVII. Scio Splend. Andream Pennatium *in vita s. Eutitii lib.* IV. *cap.* IV. *p.* 93. *edit. Montis Fiſcon. anno* 1721. vehementer negare , τὸ E. P. S. ob interjecta puncta eodem ſpectare , atque τὸ *Epiſcopus* . Sed is minus ſe prodit in veterum monumentis exercitatum . Nam ut eſt a Cl. eruditiſſimoque Lupio Societ. Jeſu Presbytero *in Monum. s. Severæ* animadverſum §. X. *edit. Panorm.* nulla eſt punctorum in inſcriptionibus præſertim Chriſtianis habenda ratio . Scribit enim hoc modo: *pag.* 67. *Mos illitteratus dividendi punctis ſillabas novus non accidet , niſi iis , qui* PARUM *ſunt in re lapidaria verſati* . Confer eumdem ibid. *pag.* 71. & *pag.* 72. ubi : *Neque vero* , inquit , *alia deſunt , eaque , ut reor , inedita pravæ hujus interpunctionis exempla , ne quis putet , eum morem paucorum tantum , eorumque indoctorum fuiſſe* . Poſtremo *pag.* 74. quo loco tabulam commemorat fictilem (fictilis item eſt , ut dixi , Lanni tabula) in qua l. Allii Maximi fit mentio , hoc modo .

MAXIMI

L AL LI

In

In summa, inquit, *nihil est frequentius embolimæis hisce punctis in monumentis antiquorum, præsertim post seculum secundum*. Adisis Fabrettum *Inscript. Dom. Antiquar. pag.* 374. *seqq.* apud quem etiam *cap.* VIII. *Inscriptionum earumd. pag.* 551. *num.* 22. epitaphium extat Sabiniani, quod est hujusmodi.

SABINIANVS. IN PACE
QVI VIXIT ANNOS ET
MENSES V. DIES. VI

Cur post vocem *Sabinianus*, & post numerum v. & post *dies* puncta cernuntur, post reliquas vero voces, numerosque non item? Consule eumdem Fabrettum *ibid. pag.* 553. *num.* 35. 37. *&* 554. *num.* 45. 49. *&* 50. *pag.* 557. *§.* XXXVIII. *litt. H. & n.* 62. *&* 63. *& pag.* 558. *§.* XXIX. XXX. *&* XXXI. *& p.* 559. *§.* XXXVI. *p.* 587. *&c.* Longum est omnia persequi. Quid? si syllabas ejusdem vocis modo punctis distinguere consueverint veteres, modo contra? Apud Fabrettum *pag.* 573.

GAV. DEN. TIVS. IN PACE QVI
VIXI. T ANNIS XX ET VIII
MENSIS CINQVE. DIES
BIGIN. TI. A. BET. DEPOS
SONE. X. KA. L. OC. TOBRES.

Hoc

Hoc eſt: *Gaudentius in Pace qui vixit annos* XX. *&* VIII. *menſes* V. *dies* XX. *habet depoſitionem* X. *Kal. Octobres*. Apud Boldettum *Oſſerv. ſopra i Cimiterj pag.* 403.

PA. CA. TI.

DE . POS . TIO

III. KAL. IVL

Pacati depoſitio III. *Kal. Iulias*. In atrio interiori Eccleſiæ s. Sabinæ.

OC. TA. VI. AE. MA. TRO. NAE
VI. DV. AE. DE. I.

Octaviæ Matronæ viduæ Dei. Itaque minus verſatum fuiſſe in Antiquitatibus Chriſtianis Pennatium oportet, quem puncta ſic conturbarint, ut τὸ E. P. S. eodem ac τὸ *Epiſcopus* recidere inficiaretur. Atque is quidem ſi ex me quærat, quamobrem τὸ EPS. idem eſſe ac τὸ E. P. S. arbitrer; feret, opinor, ut ipſe quoque interrogem, cur τὸ GAV. DEN. TIVS &c. eodem ac τὸ *Gaudentius* pertinere putet? Quod ſi nihil puncta officiunt, quo minus τὸ GAV. DEN. TIVS idem ac τὸ *Gaudentius* indicet; quid eſt quod Pennatius punctorum cauſſa deterreatur, quin τὸ EPS. eodem ac τὸ E. P. S. revolvi, ſpectareque judicet? Rurſum expediat ille, antequam ſibi a me ſatisfieri poſtulet, cur τὸ DE. POS. TIO, quod in exemplo modo deſcripto Boldetti legitur, quodque punctis diſtinctum eſt, ab voce DEPOSITIO (qua in voce puncta cernuntur omnino nulla) non diſcrepet? Hoc dicet, ſat ſcio:

ſcio: viſum id quidem fuiſſe aut Auctori ejus inſcriptionis, aut Sculptori aptius; rationem autem, cur ita ei fuerit viſum, afferri ab ſe nullam poſſe. Nam in veterum Chriſtianorum ſepulcralibus epigrammatibus innumerabilia prope exempla vocum interpunctionibus diſtinctarum obſervantur, quarum interpunctionum cauſſas nobis ne ſuſpicari quidem licet. At hoc ſi ita eſt, ut eſt revera, puncta profecto impedire non poterunt, quominus litteris EPS eadem competat, ac litteris E. P. S. ſignificatio.

Quamquam hoc etiam ſæpe animadverti, fuiſſe apud veteres Chriſtianos in uſu: ut cum duabus, tribuſve conſonantibus litteris vocem aliquam exprimere in ſuis monumentis vellent, modo cuique litteræ punctum adponerent; modo contra non adponerent. Ac ne quis fruſtra id a me dici exiſtimet, exemplis utar imprimis vocis DEPOSITVS. Hanc duabus, tribuſve litteris majores noſtri complectebantur hoc modo: DP. & DPT. ſine punctis, vel inſertis punctis D. P. & D. P. S.

Apud Boldettum *pag.* 80.

AVR. ALEXANDER. QVI VIT
ANNVS. XVII. MN. VII. DP
XII. OCTOB. VALENTINIANO
III. ET VALENTE. III. COSS.
A T ω ☧

Aurelius Alexander qui vixit annos XVII. *menſes* VII. *Depoſitus* XII. *Kal. Octobres Valentiniano III. & Valente Conſulibus*. Spectat ad annum 370. Rurſum *pag.* 414.

EL-

EL. SECVNDINO. BENEMERENTI
MINISTRATORI CHRESTIANO IN PACE
QVI VIXIT. ANN. XXXVI. DP III. NON MAR.

Ælio Secundino Benemerenti Ministratori Christiano in Pace, qui vixit anno XXXVI. *Deposito* III. *nonas Martias*. Confer apud eumdem Inscriptionem Mandræ *pag*.454. Sed nolo esse longus. Satis enim hæc esse exempla possunt. Sexcenta ejusmodi apud Muratorium, Fabrettum, Lupium, Marangonium reperire est. Ferte tamen, hoc unum ut addam, ex Marangonio, qui in Actis s. Victorini *pag*. 95. Felicis epitaphion describit hoc modo.

FELIX. QVIB. ANNVS DN XX
VIII DP. V. IDVS IVLIAS

Felix qui vixit annos plus minns XXVIII. *Depositus* V. *idus Iulias*. At τὸ DP. quod hic, & τὸ DPT quod in inscriptione *Vereini* apud Boldettum ibid.*p*.489. sine punctis scriptum est, in innumerabilibus aliis interpunctionibus notatum, distinctumque perspicietis.

Apud Marangonium *ibid*. *pag*.93.

BELLATOR
IN PACE
D. P. PR. K. DEC

Bellator in pace depositus prid. Kalend. Decembres. Apud Boldettum *pag*. 433.

PA-

PATERNA . QVE . VIXIT . ANN. XXIIII.
ET DIMISIT FILIVM . ANN. VI.
. . . . . D. P. &c.

Paterna quæ vixit annos XXIV. *& dimisit filium annor.*VI. *Deposita &c.* & pag. 453.

FRVCTVOSA
FLORIDA . D. P. PRID. KAL.
FEB.

Fructuosa Florida deposita pridie Kal. Februarias & p. 397.

D. P. CECILII . PRID. ID. IVN.

Depositio Cæcilii prid. Idus. Iunias . & pag. 476.

SEVERAQVE ANNVS P. M. XXXV
D. P. XV. KAL. DEC.

Severa, quæ (vixit) annos plus minus XXXV. *Deposita* XV. *Kal. Decembris*. & pag. 477.

VRSVLO IN PACE . D. P. V. IDVS SEPTEMB

Vrsulo in pace deposito V. *Idus Septembris* . *& p.* 487.

PATERCI . D. P. PR. NON. NOV.
& MARCIANI . D. P. VIII. IDVS . OCT.
IN PACE.

& pag. 490.

D. P. CONSTANTI NOM.
& PETRONIE BENEMERENTI IN P. MAXEN
TIVS FECIT D. P. VII. ID. SEP.

Tempus me deficeret, si persequi omnia vellem. Venio ad D. P. S. Boldettus *pag.* 402. inscriptionem Victoris sic exhibet.

D. P. S. IIII. IVN. VICTOR VIXIT ANNIS
XXXXIII. REDDIT IN PACE
FVIT PEREGRINVS.

Intelligitis autem τὸ D.P.S. *depositus* significare; quod idem Boldettus *ibid.* animadvertit. Quid? si τὸ *Equiti Romano* scriptum reperiatur apud Boldettum *ibid. pag.* 386. E. Q. R?

AVRELIO AGAPITO DRACONTIO. E.Q.R. &c.

Age vero τὸ *Benemerenti* quis nesciat modo litteris B M. modo B. M. aliquando etiam BMT. interdum B.N. M. exprimi? Adisis Fabrettum *pag.* 573. *&* *Boldettum pag.* 65. ubi sic habet.

PETRO FOSSORI B. M. IN PACE

& pag. ead.

SERGIVS ET IVNIVS FOSSORES
B. N. M. IN PACE. BISOM.

Quo loco τὸ B. N. M. idem est atque τὸ *Benemerentes.*

Rur-

Rursus *pag.*461. VENERIVS MOMELITIO BTI FECIT hoc est *Benemerenti fecit* & apud Fabrettum *pag.* 125.

D. M.
HIC SVNT POSITI GVMNICI
TRES FRATRES
LVPVS. Q. VIX. A; V. M. VIII. D. XIII.
L
ELENCHIVS. Q. VIX. A. I. M. VII.
VINCENTIVS. Q. V. A. V.
M. VIII. D. XXVIIII.
PATRONI. ALVMNIS. SVIS
B. N. M. R. BVS
FECERVNT
ET BASILIVS PATER.

Videtis ut τοῦ *Benemerentibus* punctis litteræ syllabarum initiales B. N. M. R. BVS dividantur.

At ejusmodi exemplorum pleni sunt Boldetti, Fabretti, Muratorii, atque Marangonii libri. Itaque eos consulite. Prætermittere tamen silentio non possum inscriptionem Secundini, in qua τὸ *Beneficiarius* his litteris B. N. F. expressum est:

SECVNDINO. BENEMERENTI. QVI VIVIT
ANNOS XLII.
B. N.F. PAEFT. PRAET. QVIESCIT IN PACE
VI. IDVS AVG.

Conferam rem omnem in pauca. Si idem τὸ BM. ac τὸ B. M. & B. M. N. est: Si eodem τὸ BNF. ac τὸ B.

 N. F.

N. F. & τὸ B N T. ac τὸ B. N. M·; & τὸ DP. ac τὸ D. P. & D. P. S. pertinet, quid eſt quod non item τὸ EPS ac τὸ E. P. S. rem eamdem ſignificare putemus? Non enim puncta ſenſum verborum, ſiglarumque, ut oſtendi, mutant.

Sed Pennatius τὸ E. P. S. ſic interpretatur: *Eutychius presbyter ſepelivit*. Ridiculum! Nam etſi nota, ac pervulgata prænomina, atque nomina una duabuſve litteris exprimi conſueverant, ut Marci, Quinti, Sexti, Cnei, Decimi, Tullii hiſce notis M. Q. S. Cn. D. T. quæ tamen non erant, integra ſcribebantur: alioqui intelligi a nemine potuiſſent. Eutychii autem nomen in uſu profecto apud Latinos non erat. Itaque ſi quis una littera E. illud indicare voluiſſet; is lectorem implicaviſſet. Non enim ulla eſt ratio cur τὸ E, *Eutychium* potius, quam *Eleutherium*, aut *Eugenium*, aut *Evareſtum*, aut aliud quodpiam prænomen indicet, cujus initialis littera ſit E.

Jam vero Presbyteri appellationem ecquis unquam una littera P. indicatam legit? Evolvite collectiones omnes antiquorum epigrammatum ſepulcralium, ſingulaſque inſcriptiones veterum Chriſtianorum expendite, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Exorciſtæ*, *Lectoris*, *Foſſoris* vocabula aut integra in ipſis, aut duabus, tribuſve litteris comprehenſa deprehendetis, ex quibus intelligi poſſit, quo is munere, cui poſita eſt inſcriptio, fungeretur. Atque apud Boldettum quidem *pag.* 416. *Candidi* inſcriptio ſic habet:

CANDIDVS PRESB.

Et Baſilii, apud Reineſium *pag.* 905. *nnm.* 35.

LOCVS BASILII PRESB. &c.

Rurſus apud eumdem Reineſium *pag.* 919. *num.* 90.

LO-

LOCVS GERONTI PRESB. &c.

& pag. 934. num. 155.

TEMPORIBVS S. INNOCENTII
EPISCOPI PROCLINVS ET VRSVS
PRESBB. &c.

& pag. 989. num. 394.

OLIM PRESBYTERI GABINI &c.

& apud Muratorium *pag.* MDCCCLXIII.

✝ EVFRASIVS PBR.
IN HONORE S. PETRI
APOSTOLI VOTO SVO FECIT

Apud Marangonum in Act. s. Victorin. *pag.* 31.

QVIESCIT BICTORINVS PRB.

Rursus apud Boldettum *pag.* 415. *Asterii* & *Exuperantii* & *Urbici* Diaconorum, & apud Reinesium *pag.* 915. *num.* 75. *Felicis* item Diaconi.

LOCVS ASTERII
DIACO

LOCVS EXSVPERANTII
DIACON.

VRBICVS ET BALERIVS
DIACON IN PACE

DEPS.

DEPS . FELIX . DIAC. V. IDVS MARTIAS

Petronii autem *Exorcistæ* apud eumdem *ibid.* hujusmodi est.

PETRONIVS EXORCISTA
HELENE M. B. B. IN . P.

Apud Fabrettum *pag.* 557. LECTORIS vocabulum non uno L. sed integrum scriptum reperies. De Fossorum appellatione nihil attinet dicere: Multa enim a Bosio, Aringhio, Bottario, aliisque proferuntur epigrammata, in quibus aut integra, aut quatuor litteris expressa cernitur. Apud Boldettum *pag.* 416.

TIGRINIANVS ET ERCVLIVS
FOSSORES . BMSS

Hoc est *Fossores Benemerentes*: & *pag.* 60.

DIOGENES FOSSOR IN PACE DEPOSITVS
OCTABV. KALENDAS OCTOBRIS

& *pag.* 65:

IVNIVS FOSSOR AVENTINVS F. S

hoc est *Fecit Sibi*. Ibid. e Cœmeterio Calepodii:

FELIX FOSSARIVS IN P.

Rursum ibid. e Cœmeterio Priscillæ:

LVCILIO FOSSOR. MAXIMINVS
FRATER POSVIT QVI BIXIT A. XXXX
IN PACE

Et

Et

PATERNO FOSSORI BENEMERENTI
BIXIT A. P. M. XXXVI
QVIESCIT IN PACE

Et

FRIGIANVS . ET HERCVLEVS FOSSORES
RVFIO FOSSORI BENEQVESCENTI &c.

Ex his autem inſcriptionibus plane perſpicitis *presbyteri*, *Diaconi*, *Lectoris*, *Exorciſtæ*, *Foſſoris* vocabula una numquam littera exprimi a Majoribus conſueſſe. Intelligi namque volebant, non autem Oedipum requirebant Lectorem, qui quæ ipſi ſcribere conſtituerant, divinaretur.

De S. porro quid dicam? Epigramma enim, ſeu inſcriptio extat omnino nulla, in qua pro *Sepelivit* ſumi queat. Scilicet hoc reſtat, ut *τὸ* V. S. quod in quibuſdam inſcriptionibus legimus, ſic eſſe explicandum arbitremur: *Urbanus ſepelivit*, non *votum ſolvit*. Qua re quid demum fingi poteſt abſurdius? Oſtendat Pennatius, ſi potis eſt, inſcriptionem aliquam, in qua *τὸ* S. pro *ſepelivit* accipi queat, aut *τὸ ſepelivit* integrum ſcriptum ſit. Mihi certe nullam omnino uſquam licuit legere. Vidi autem, legique inſcriptiones prope innumerabiles. *Poſuit*, *Poſuerunt*, *Depoſitus &c.* ſæpe legi, *ſepelivit* vero, aut *ſepelierunt*, non item.

Sed dabo tot inter inſcriptiones Chriſtianas veteres duas, treſve reperiri, in quibus legatur *τὸ ſepelivi*, cujuſmodi eſt ea, quam Nardinus cap. VIII. & Boldettus, qui eam tamen non vidit. pag. 580. in Cœmeterio Nepeſino inventam ferunt.

MAR-

MARCVLVS CIVIS NEPESINVS HAC DIE XXII
IVLII MARTYRIO CORONATVS CAPITE
TRVNCATVS IACET QVEM EGO SAVINILLA
IESV CHRISTI ANCILLA PROPRIIS
MANIBVS SEPELIVI

Quamquam de hac etiam vehementer dubitem; nam ut mittam cetera *τὸ* XXII. Julii novum eſt. Veteres enim Chriſtiani, ut ex eorum monumentis colligitur, XI. Kal. AVGVSTI, non XXII. Julii ſcripſiſſent. Verumtamen patiar, inquam, duas, treſve reperiri inſcriptiones, in quibus extet *τὸ* *ſepelivi*, vel *ſepelivit*; at id ut intelligeretur, integrum fuiſſet in iiſdem ſcriptum, non una littera S. notatum, quæ quorſum ſpectaret, ne fingendo quidem aſſequi poſſemus. Quod ſi quis eſt, qui contra ſtatuendum putet, is exempla proferat. Sed afferet profecto nullum; nam, confidenter dico, nullum extat. Quæ namque communes erant voces, uſuque teri conſueverant, non quæ raræ, una tantum littera indicabantur. Itaque *το Depoſitus*; *το in Pace*, *το Fecit*, propterea quod diuturna conſuetudine, uſuque uſurparentur, intelligique proinde facile poſſent, ſimplicibus litteris D. IN P. F. ſæpe propoſita fuiſſe videmus, *τὸ Sepelivi* vero, quod minus eſſet uſitatum una littera S. expreſſum numquam. Et Pennatius tamen non rem unam modo vel numquam, vel perraro uſurpatam, ſed tres ipſas tribus tantum litteris (quæ ceteroqui *Epiſcopatus* notæ erant) ita indicatas jactat; ut ad eas evolvendas, intelligendaſque non interprete perito antiquitatum, ſed ariolo, divinatoreque opus eſſet. Quod ſi cuique ſuo arbitratu,

tu recedere a communi, pervulgataque ratione legendi Antiquariorum, præjudicataſque ſuas opiniones conſectari, utque lubet, ſiglas, notaſque, quæ in monumentis veterum occurrunt, explicare licet; non deerunt ſcilicet, qui alia nomina, alia munera, myſteria etiam quædam fortaſſe tribus illis litteris E.P.S. contineri arbitrentur. Noſtis vos quidem, quam multis modis τὸ PL. MS, quod eſt in Hilari celeberrimo epigrammate, Scriptores quidam ſint interpretati, quos pervulgati illius, uſitatique *plus minus*, quod τὸ PL. MS certe ſignificat, tæderet, ac novis interpretationibus, quas ne fando quidem umquam audivimus, delectarentur. Sed de nota E. P. S. quæ eodem atque *Epiſcopus* pertinet, plura fortaſſe, quam neceſſe fuit.

Nunc iis breviter ſatisfaciam, neceſſe eſt, qui nullam ſe reperire cauſſam conqueruntur, quamobrem τὸ E. P. S. (ſi modo *Epiſcopum* ſignificet) quadrato (quaſi ab ceteris verbis inſcriptione illa comprehenſis ſejungi debeat) incluſum fuerit. Igitur nego id quadratum argumentum eſſe ejus, quam iſti objectant, ſejunctionis. Nam ſi eſſet, jam numerus XIX. (ut vobis in ea, quam mox proponam, quamque Fabrettus *pag.* 21. profert, inſcriptione cernere licet) numerus inquam XIX. circulo incluſus a verbis VIXIT & ANNIS, quæ ſcripta extra circulum ſunt, disjunctus intelligeretur, qua re nihil dici poteſt obtuſius. Eſt autem ea inſcriptio hujuſmodi.

CONTVBERNALI FECIT

VIXIT (XIX) ANNIS

Quid ? si ne syllabæ quidem NI . & FA , quæ sunt parallelogrammo inscriptæ , ad Bonifaciæ nomen componendum conducerent in epigrammate apud Boldettum *pag.365* ? Id vero , quis umquam feret ?




Jam vero litteræ ONI , quæ , voluminis figura interjecta , sejunctæ videntur ab litteris CRESCENT (si vis animadversioni adversariorum inesset ulla) quo demum modo ad conflandum *Crescentionis* nomen conferrent ? Affertur ea a Boldetto inscriptio *pag.* 316. estque hujusmodi .



Præterea in inscriptione , quam protulit Gruterus *pag.* MCVIII. hæ litteræ DD. NN , quæ *Dominorum nostrorum* significant , quæque inclusæ circulo exhibentur , ad Augustos non pertinerent , quorum VICTORIÆ AUGG. in eadem inscriptione fit men-

tio.



OPVS DOLIARE
PRAEDIS D N
COS
PAETINO
OPVS DOLIARE
C MARCI MISTR
IMP CAETRO AVG
EX FIGLI MARC DOLI
OPVS DOLIAR
SERVIANO

tio. Denique, ut cetera, quæ ad rem cofirmandam adduci possent, prætereain, in lateritiis tabulis (cujusmodi est ea, de qua agimus) circulos plerumque in medio signo figulinæ fieri consuesse, quibus quidem circulis litteræ inscriberentur indicantes aut notam temporis, aut eorum, quorum nomina scripta extra eosdem circulos erant, dignitatem; nemo tam est ignarus antiquariæ rei, qui nesciat. Sexcenta sunt scilicet apud Fabrettum, Boldettum, aliosque exempla eorum, quæ mox proponam, similia. Exhibentur autem hæc a Boldetto *pag.* 530. Nam in figura v. ut in opposita tabula cernitis, extra medium circulum legitur PAETIN. ET APRON. in medio autem circulo COS. Q. Arius Pætinus, & C. Ventidius Apronianus an. 123. consulatum gesserunt. In x. figura extra circulum SERVIANO III. ET VARO, in medio vero circulo COS. Rursum in XI figura PROP. ET AMBI in medio vero circulo COS. In XIII. quoque & XV. PAETINI, & APRONIANI nomina medio circulo non includuntur, includitur autem τὸ COS. quod & dignitatem consulum, & temporis notam indicat. Quamquam ratio apud veteres inscribendorum circulorum signis figulinarum (vide figur. VIII.) aut ponendarum in circulo litterarum constans non fuit, ut ex fig. I. II. III. IV. VI. VII. IX. XII. XIV. liquet. Jam vero si in mediis circulis eæ litteræ interdum scribi solebant, ut ad temporis notam lectores facilius adverterent animum; quid est, quod non item quadrato fuisse a figulo in epigrammate Lanni inscriptum τὸ E. P. S. arbitrer, ut qui legerent, animadvertere facile possent, Lannum claruisse Episcopi dignitate?

At erunt fortasse, qui rogent, quamobrem Lannum Episcopum fuisse non alterius cujusquam urbis, sed omnino Hortanæ putem. Ego vero cum i non Hortanæ, sed alius cujusquam urbis Episcopum eum fuisse suspicentur, ostendi mihi ratione, non inanibus verbis jactari volo. Atque ut Episcopum Hortanum fuisse Lannum existimen, facit omnium antiquariorum summa consensio, qui inscriptiones Episcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum &c. quæ in Cœmeteriis, aliisve locis uni alicui urbi subjectis reperiuntur (nisi aliunde constet peregrinos eos, hospitesque fuisse) ejus urbis Diœcesi addicere, adjudicareque consueverunt. Ita fit, ut quamvis in Hadriensium Episcoporum serie non legatur *Bonus Episcopus*, quoniam tamen in Ecclesiæ Parochialis Baptisterio Episcopi ejusdem fit mentio, is a Muratorio ejus urbis Antistes habeatur. Confer *Murator. pag.* MDCCCXLIII. Quod idem statuit *ibid. pag.* MDCCCLXXXVIII. de Johanne, qui prætermissus ab Ughellio fuit. Rursus etsi Innocentius Episcopus solum nominetur in epigrammate apud eumdem *pag.* MCMXXIX. nihilominus, quod repertum id fuerit in Romano Cœmeterio s. Sebastiani, Innocentium I. Pontificem Maximum in eo commemorari certum est. Eodemque modo Bonifacius Episcopus, cujus est in inscriptione Calaritana facta commemoratio, Episcopatu functus Calaritano fuit, Muratorii, Bonsantique sententia. *Murat. pag.* MDCCCXLV. Sergium præterea Episcopum, qui in Ariminensi inscriptione laudatur, quamvis non fuerit numeratus in Antistitum Ariminensium serie, Antistitem tamen fuisse Ariminensem Muratorius negare non au-

audet. Ac si Episcopos veteres, quorum epitaphia adhuc extant, iis civitatibus adimere voluerimus, in quibus ea ipsa epitaphia reperta sunt; summa quidem orietur in seriebus Episcoporum plurimarum urbium perturbatio. Nam caussæ, quamobrem inlati in eas series permulti fuerint, inscriptiones in iis urbibus inventæ fuerunt. Id quod multis etiam exemplis non Ughellii modo demonstrari potest, sed etiam Lequienii in *Oriente Cristiano*, & Sammarthanorum in celebri opere, quod *Galliam Christianam* inscripserunt. Quare, nisi Lannum adversarii alius cujusquam loci Episcopum fuisse ostenderint (ostendent autem, ut mihi facile persuadeo, numquam) manebit certe Episcopum eum fuisse Hortanorum, cum in Diœcesi Hortana quarto circiter ab urbe Horta milliar. *Bassanelli* nempe, inventum ejus sepulcrum cum Inscriptione fuerit. Atque eo quidem magis in sententia confirmor, quo videam, Forum Claudii, Tresque Tabernas eo tempore Episcopos habuisse. Confer Acta Synodi sub Melchiade apud Optatum Milevitanum *lib. 1. Adverſ. Parmen.*[1] Nam si oppida tam exigua eo tam insigni honore digna initio IV. seculi fuerunt; quid est, quod eodem ipso honore indignos quisquam fuisse Hortanos statuat, quos tunc in sua Diœcesi & Martyras, ut ex Lanni epigrammate intelligitur, & Cœmeterium, ac proinde Ecclesiam, hoc est cœtum Christianorum habuisse constat, cujusmodi cœtibus Episcopos tunc præfici consuesse ostendimus? Ac de Episcopatu Hortano Lanni satis dictum est.

CA-

1 *Pag. 23. edit. Antuerp. an. 1702*

CAPUT QUARTUM.

I. De Episcopis Hortanis successoribus B. Lanni. Imprimisque de Leone. II. & Martiniano. III. Blando. IV. Juliano. V. Mauricio. VI. Adamo. VII. Stephano. VIII. Arsenio. IX. Zacharia. X. & Stephano.

I. QUinam Lanno Antistes successerit, e certis, testatisque veterum monumentis non liquet. Leonis inscriptionem affert Fontaninius, quem Leonem v. seculo Hortanæ Ecclesiæ præfuisse censet. Eamdem ego ex lapide (qui primum in Ecclesia s. Johannis in Fonte ad plateam Hortæ servabatur, deindeque in ejusdem urbis parochiale templum s. Petri translatus est, quo in templo etiamnum extat) accurate descriptam huc esse transferendam duxi. Est autem hujusmodi.

✝HICREQV.ES
CITINPA CEIE
OEPC QVISED
ITANNOS×III
MENSE V..DIT

Po-

Poſtrema inſcriptionis verba temporum injuria deleta ſunt. Ex figura autem characterum, exque formulis verborum, quibus expreſſa inſcriptio eſt, quinto, aut ſexto ſeculo potitum Leonem Epiſcopatu Hortano fuiſſe cognoſcitur. Similis enim eſt hujus omnino inſcriptio anni CCCCLXXXVIII., quam in Diſſertatione de Epitaphio s. Severæ Clariſſimus Lupius Soc. Jeſu Presbyter *pag.* 147, publicavit. Habet enim hoc modo.

✝ HIC REQVIESCET IN PACE MVNATIA VI.
RELIGIOSA FEMINA QVAE VIXIT ANNO..
PLM. LXX DEPOSITA SVB DI. E PRIDIE NON.
FEBRVARIAS DYDAMIO SIEIDIO VVCC.

Conſulibus, ut cernitis Dynamio, & Sufidio, poſitum id fuit monumentum, hoc eſt an. vulgaris aeræ CCCCLXXXVIII. In inſcriptione autem noſtra quod eſt REQV. ESCIT. in hac ponitur REQVIESCET. Punctum autem, quod in medio REQV. ESCIT cernitur, infimæ partis litteræ I veſtigium, meo quidem judicio, eſt; ita ut initio REQVIESCIT legeretur. Sed ea littera I fere tota propter inſcriptionis vetuſtatem deleta eſt, ut pars, quemadmodum dixi, infima una remanſerit, quæ punctum conſtituere videatur. Quamquam ſi REQVESCIT Hortanus lapis haberet, mirabile profecto non eſſet. Nam cum QVESCENTI in permultis veterum Chriſtianorum epigrammatibus ſepulcralibus legatur, non eſt, cur quemquam τὸ REQVESCIT conturbare poſſit? In Cœmeterio Priſcillæ epitaphium

phium Pauliniani, quod Boldettus reperit, ut *lib.* I. *cap.* LX. *pag.* 317. testatur, hujusmodi erat.


PAVLINVS . FILIO . PAVLINIANO
BENEQVESCENTI . FECIT . IN . PACE
QVI VIXIT MENS. VIII.

Ad seculum item V. spectare arbitror epitaphion, quod in Cœmeterio Lucinæ repertum est, simileque est (quod ad Crucem epitaphio præfixam, formulasque quasdam attinet) Hortano Leonis Episcopi. Describitur a Boldetto *lib.* II. *c.* VI. *pag.* 413. estque hujusmodi.

† HIC REQVIESCIT IN PA..
QVI VIXIT . PLM ANN.
COMPARABIT PATRIC. .
.. TER SIBI ET SVIS

Ad idem tempus pertinet inscriptio, quam Præsul Oliverius reperit in Cœmeterio s. Hippolyti, quamque exhibet Boldettus *ibid. lib.* I. *cap.* III. *p.* 345.

HIC



HIC REQVIESCIT MARCIA IN SOMNO
PACIS DEPOSITA III. NON. APR.

Seculo item IV. positus hic fuit lapis, quem describit Reinesius *pag.* 984. *num.* 374. referturque a Baronio ad an. 472.

HIC REQVIESCIT IN PACE PRAETEXTATVS
V.I.EXQVAESTOR SC.P.DP.VII.ID.OCT.FESTO V.C.COS
FILIA EIVS PARETEXTATA C. F. DP. XV. KAL. AVG
DECIO V. C. COS.

Festus an. 472. & Decius an. 486. Consules fuerunt. Vide eumdem Reinesium *pag.* 987. *n.*386. *& pag.* 916. *num.* 78. *& pag.* 964. *num.* 287. *& pag.* 982. *num.* 368. *& pag.* 997. *num.* 429.

Ad sextum seculum pertinent non absimiles inscriptiones, quas describit Reinesius *pag.* 961. *n.* 271. *pag.* 964. *num.* 290. *p.* 978. *num.* 350. *pag.* 980. *n.*363. *& pag.* 981. *num.* 367. *& pag.* 991. *num.* 403. *pag.* 960. *num.* 267. *& pag.* 936. *num.* 165. *&* 937. *num.* 168. Est preterea in lapide sepulcrali s. Cassii Episcopi Narniensis scriptum hoc modo apud Boldettum *pag.* 353.

RQ. IN PACE PRID. KAL. IVL. PC. BASSI
IVC. ANN. XXVII.

In pago etiam Cimitino prope Nolam inventa hæc eſt inſcriptio quam afferunt Reineſius *Claſſ.* xx. *n.* xxvii. *pag.* 903. & Fleetvoodus *pag.* 353. *n.* 3.

D. P. S. SANC. M. D. M. N.
AVRELIANI EPISC. IN . PACE
PLVS M. LXXX SEDIT ANN. XXXVII
DP. EST . OCTABV. K.

Rurſus idem Reineſius *pag.* 979. *n.* 355. & Fleetvoodus *pag.* 446. *num.* 8. hanc exhibent, quam in ædibus Epiſcopi Puteolani extare, Capacius ſcribit *lib.* II *Hiſt. Neapolit. c.* xx.

HIC REQVIESCIT IN PACE MISENVS
EPISCOPVS . . . . P. M. LXXVI DEPOS.
III. ID. IANVAR. FL. FELICIS VC. CON. ET SE
DIT ANN. . . . M. X. D. XVI.

Secundinus & Felix Conſ. fuerunt *an.* 511. Extat Beneventi præterea epitaphion Chriſtiani viri quod profert Johannes de Vita vir Clariſs. *Diſſert.* XI. *Antiquit. Benevent. pag.* 290. eſtque hujuſmodi.

✝ HIC REQVIESCIT MAMER
CIVS MARCELLINVS VI CVRA
TOR QVI VIXIT ANN^S PM XXX
DEPOSITVS SD^S IIII NONAS NOVEMR^S
FLAVIIS SVMMACHO ET BOETIO VV CONSS.

Sym-

Symmachus autem & Boetius consulatum *an.* 522. gesserunt. In Cœmeterio Calepodii hæc item seculi VI. hæc est an. 568. inventa est, quam Boldettus exhibet *lib.* I. *cap.* XIX. *pag.* 86.

† HIC REQVIESCIT IN PACE IMPORTVNA ❦ FILIA Q.
DVLIALI ARCARI S QVE VIXIT
ANN. PLM. XVII. DEPOSITA SVB ❦ RIAE
VII. KAL. IVNIAS
IMP. DN. M. N. IVSTINO EODEM CONS P. INDICD ❦
PI MA ❦ ❦

Leonis ergo inscriptio aut ad V. aut ad VI. seculum pertinet. Cum autem Fontaninius seculi eam esse V. judicarit, nullaque sit caussa, quamobrem esse ei repugnandum putem, patiar equidem ut ante Martinianum Leo in serie Antistitum Hortanorum ponatur.

II. Interfuit is quidem Martinianus Synodo Romanæ anno 502. celebratæ sub Symmacho Pontifice, ejusdemque Synodi Actis subscripsit, ut cognoscere per vos ipsi poteritis ex *tom.* II. *Conciliorum pag.* 982. *edit. Paris. Harduini*. Non sum nescius esse aliquos, qui in quibusdam Mss. Codicibus *Ortonensis*, non *Ortensis* legi defendant. Hi tamen si omnes ejus Synodi Actorum Editores (qui veteres codices consuluerunt, interque se contulerunt, ut quæ genuinæ, veræque lectiones essent, perspicerent) si omnes, inquam, Actorum illius Synodi editores, ut Labbeum, ut Balutium, ut Harduinum, qui summa consensione τὸ *Ortonensis* repudiarunt, Ortensisque

ſiſque ſcribendum judicarunt, contemſerint; nullum jam monumentum reliquum facient cui fidendum eſſe videatur. Nulla enim Acta, libri fere nulli ſunt, quorum Auctores nonnulla vocabula uſurparint, quæ non in aliquo codice vitiata, atque corrupta exhibeantur. At his codicibus, quia cum correctis, caſtigatiſque pugnant, ſtandum eſſe criticæ artis regulæ, legeſque vetant.

A communi porro pervulgataque lectione, quæ ſummis viris, qui Mſs. codices evolverant, contulerant, expenderant, probata fuerit; recedere velle, ne quis Hortanis ceſſiſſe videatur; hominum eſt profecto non ſtudio inveniendi veri, ſed contendendi ſcribentium. Atque eo quidem tempore ſi Aquæ Vivæ [1] (quod Oppidum ſitum ad pedes Montis Soractis erat, indignumque quarto ſeculo Auctori Itinerarii Hieroſolymitani viſum fuit, quod civitatis nomine honeſtaretur) ſi Bleræ, ſi Ferenti quæ item oppidula Strabo *lib.* v. *pag.* 345. *edit. Amſtel. an.* 1707. ſi Signiæ, ſi Trebiis Epiſcopi vigebant, ecquod eſſe tantum Hortæ antiquæ urbis infortunium potuit, ut Antiſtite Sacrorum careret? Quod ſi manendum ſibi nihilo ſecius adverſarii in ſententia putant eſſe, afferant codices, vetuſtaque monumenta producant, quibus nobis perſuadeant, eſſe a vulgatis Actorum Synodi Romanæ exemplaribus recedendum. Sed cum nulla proferant, non eſt cur nos deterreri ab ſententia ſperent poſſe.

III. Quarto loco numerandus in ſerie notorum, certorumque Hortæ Epiſcoporum eſt Blandus, qui extremo ſeculo VI. floruit. Nam Gregorius I. Pontifex

1 *Vide pag.* 877. *tom.* II. *Concil. edit. Hard. Pariſ.*

tifex Maximus de eo ad Romanum Ravennæ Exarchum ſcribens *lib.* I. *Epiſtol.* XXXIII. *edit. Pariſienſis Monachor. Congreg. s. Mauri an.* 1705. *pag.* 521. *tom.* II. „ Pervenit, inquit, ad nos, Blandum Epiſcopum „ Hortenſis civitatis longo jam tempore in civita- „ te Ravennæ a veſtra Excellentia detineri; & fit „ ut Eccleſia ſine rectore, & populus quaſi ſine pa- „ ſtore grex defluat „. Non me fugit, in tribus Codicibus Vaticanis, quod monent Maurini Monachi, *Hortonenſis* pro *Hortenſis* legi. Sed quid hoc ad rem? An non iidem ipſi Maurini, quum tot codices antiquos, caſtigatoſque vidiſſent, interque ſe diligenter, ut ſolent, contuliſſent, τὸ *Hortonenſis* reſpuerunt, retinendumque omnino τὸ *Hortenſis* putarunt? Ridiculum profecto eſt, unius, triumve Mſs. codicum, qui ſecus habeant, cauſſa, lectionem criticæ artis peritis probatam, reliquiſque codicibus contentam rejicere. Alioqui *Ortanam* urbem Livio etiam fuiſſe memoratam dicere liceret, propterea quod in permultis ejus codicibus, inque caſtigatis etiam editionibus, cujuſmodi eſt ea, quam Johannes Clericus [1] curavit; Ortana urbs nominetur. At Ortona eſt omnino legendum, ut alii codices, iique caſtigatiores poſtulant. Atque ſi hæc Gregorii epiſtola cum iis, quæ a Paulo Diacono, Anaſtaſioque prodita ſunt, contuleritis, non *Hortonenſem*, ſed *Hortenſem* Antiſtitem fuiſſe Blandum intelligetis. Nam ut capite hujuſce libri primo Pauli, Anaſtaſiique Hiſtoricorum auctoritate demonſtratum eſt, Romanus Exarchus Amerinos, Hortanos, Bleranos finitimos ſcilicet populos, qui in ditionem venerant

1 *Lib.* II. *cap.* XLIII. *tom.* I. *pag.* 140. *edit. an.* 1735.

nerant Longobardorum, cepit, cum nemo usquam scripserit, quidquam eum in Hortonenses tentasse simile. Quid autem esse veri similius potest, quam Blandum Hortanum, ante etiam quam potitus Pontificatu Gregorius esset, partibus studuisse Longobardorum, qui Hortam occuparant, cumque in manus incidisset Græcorum, detentum ab Exarcho, vexatumque fuisse?

IV. Venio ad Julianum. Floruit is medio fere septimo seculo, annoque 649. Synodo Lateranensi a Martino Pontifice celebratæ interfuit. Hunc autem cum Hortonensi adversarii miscere, etsi optent, non possunt. Legitur enim *pag. 790. tom.* III. *Concilior. edit. Hard. Paris.* ἰουλιανοῦ ἐπισκόπου ὀρτῶν. JULIANI EPISCOPI HORTANORUM, pauloque post βίκτορ ἐπίσκοπος ὀρτῶνος VICTOR EPISCOPUS HORTONAE nomen adscribit suum. Quare Julianum *Hortanum Episcopum* fuisse, ingratiis adversarii fateantur, necesse est. Qua ex re quoque efficitur, etiam si nos cetera, quæ hactenus protulimus, monumenta deficerent, hoc tamen unum nobis satis ad controversiam dirimendam esse.

V. Sequitur Mauritius. Is seculo VIII. hoc est anno 743. Synodo Romanæ ab Zacharia Pontifice coactæ, habitæque adfuit. Est enim in actis ejusdem Synodi *tom. eod.* III. *Concilior. pag.* 1931. scriptum hoc modo: Aradio Clusino, Mauricio Hortano, Johanne Fallaritano &c. Hic rursum adversariis, si qui sunt, nullus tergiversandi locus datur. Non enim abuti imperitia possunt veterum librariorum, qui *Ortonensi* pro *Hortano* scripserint. Nam τὸ HORTANO codices quique constanter retinent.

VI. An-

VI. Anno 761. Adam Hortanus Antistes Pelagii Papæ I. constituto subscripsit hoc modo: *Adam humilis Episcopus s. Ecclesiæ Hortanæ. Tom.* III. *Concilior. edit. Hard. Paris. pag.* 1002.

VII. Anno 826. Synodo Romanæ sub Eugenio II. interfuit Stephanus Episcopus Hortensis. *Tom.* V. *Concilior. edit. ejusd. pag.* 61.

VIII. Seculo eodem Nicolaus I. Pont. Max. Arsenium Hortensem Episcopum in Gallias Legatum misit *tom.* V. *Concilior. edit. ejusd. Epist.* XXVI. *pag.* 244.

IX. Post Arsenium Zachariam Episcopum Hortanum Ughellus nominat fretus Strozziani Codicis auctoritate.

X. Denique ut Episcopos ceteros Hortanæ Ecclesiæ, qui post floruerunt, quosque Ughellius idem, Fontaniniusque loco supra indicato numerant, prætermittam, Stephanus anno 904. in Romanæ Synodi actis commemoratur, quæ recensuit Mabillonius. *Tom.* I. *Musei Italici pag.* 88.

CAPUT QUINTUM.

I. Castellanensium Urbem recens conditam. II. Episcopatumque Castellanensem novum esse ostenditur.

I. AT Castellanensibus multo ante Episcopus datus, quam Hortanis fuit. Istuc vero mihi persuadere, non rumore, & fama vulgi Castellanensium, sed antiquis monumentis velim. Verumtamen est id, ne ἀδύνατον dicam, omnino difficile. Neque vero quisquam ex me extorquebit, ut eis datum Episcopum fuisse censeam, qui nusquam essent. Castellanen-

lanensium autem ne nomen quidem ante seculum decimum auditum est. Quid? Si neque loci, cui aliud olim esset nomen, scriptor ullus vetus meminerit? Atenim meminisse Solinum, auctor est is, qui libellum *de Vita, & Martyrio s. Gratiliani* Romæ anno 1757. edidit pag. 53. Nego enim vero venisse umquam Solino in mentem de *Civitate Castellana* scribere. Legi hercle quidquid ille ad Italicam regionem spectans suo Polyhistore comprehendit, nihilque reperi, quod ullo modo ad Castellanensium oppidum, nomenve pertinere videretur posse. Itaque Gratiliani Martyris vitæ eruditus scriptor, pace id ejus dixerim, hallucinatus est.

Non me latet, fuisse aliquos, qui Falerios Urbem ibi ante fuisse, ubi nunc civitas est Castellana, putarent. Sunt autem in horum numero Lucas Holstenius [1], Justusque Fontaninius [2], viri certe summi, sed levibus argumentis in hanc sententiam inducti. Nam Zonaræ auctoritate [3] qui certe seculo XII. floruit, freti, in edito loco, eoque natura munito sitam ante urbem Falerios fuisse defendunt. Verumtamen is auctor tanti haberi, pendique non debet, ut antiquis, iisque diligentissimis scriptoribus sit præferendus. Nihil enim tale in Libris Livii est, nihil in Dionysii, nihil in Plutarchi, nihil in Strabonis, Flori, Valerii Maximi, Eutropii, nihil denique in ceterorum Historicorum. Eversæ namque veteris Faleriorum Urbis, quæ in edito loco sita esset, novæque in planitie constructæ nemo usquam eorum meminit. Neque vero audiendus Fontaninius est,

1 *In adnotat. ad Cluver. Antiq. Ital.*
2 Fontaninius *de antiq. Hortæ lib.* I. *cap.* IV. *num.* IV.
3 Zonaras *lib.* VIII. *Annal. p.* 399. *edit. Paris. an.* 1680.

eſt, qui Plutarchum in *Camilli vita* urbem vetuſtam *Faleriorum* fuiſſe *natura munitam* dixiſſe, pugnat. Plutarchus enim *munitam* quidem illam ait fuiſſe; *natura* autem *munitam* non item. Sic enim habet: pag. 159. „ Movit in Faliſcos, Urbemque *ἐρυμνὴν munitam*, „ atque omnibus ad bellum neceſſariis inſtructam, „ circumſedit Falerios „ Quid? Si ex Livio intelligi plane poſſit, urbem Faleriorum, etſi munitam arte, in ea tamen planitie fuiſſe, ubi erat Falaris in *Amerina via*? Nam haud longe ab Urbe Falari confragoſa, atque aſpera ſunt loca, eſtque locus ſuperior urbe, qui *Fabrica* nunc appellatur. Locus autem ſuperior, imminenſque Civitati Caſtellanæ nullus eſt, neque ulla ſunt confragoſa loca, quæ ab Caſtellanenſium oppido mille circiter paſſus abſint. Atque Livius *de Faliſcis* eorumque urbe *Falerios* appellata *lib.* V. *cap.* XXVI. agens: „Cum primo mœnibus ſe „ hoſtes tenerent, inquit, tutiſſimum id rati, po„ pulatione agrorum, atque incendiis villarum coe„ git eos egredi urbe, ſed timor longius progredi „ prohibuit. Mille fere paſſuum ab oppido caſtra „ locant; nulla re alia fidentes ea ſatis tuta eſſe, „ quam difficultate aditus aſperis, confragoſiſque „ circa, & partim arctis, partim arduis viis. Ce„ terum Camillus captivum indicem ex agris ſecu„ tus ducem, caſtris multa nocte motis, prima „ luce aliquanto ſuperioribus locis ſe oſtenderit. Tri„ fariam Romani muniebant. Alius exercitus præ„ lio intentus ſtabat. Ibi impedire opus conatos ho„ ſtes fundit, fugatque, tantumque inde pavoris Fa„ liſcis injectum eſt, ut effuſa fuga caſtra ſua, quæ „ priora erant, prælati, urbem peterent. Multi

„ cæsi, vulneratique, priusquam paventes portis in„ ciderent. Castra capta, præda ad quæstores reda„ cta cum magna militum ira: sed severitate impe„ rii victi eamdem virtutem & oderant, & mira„ bantur. Obsidio inde Urbis, & munitiones, & „ interdum per occasionem impetus oppidanorum in „ Romanas stationes, præliaque parva fieri, & teri „ tempus, neutro inclinata spe; cum frumentum, „ copiæque aliæ ex ante convecto largius obsessis, „ quam obsidentibus suppeterent „. Hæc ille. Quæ autem tum a Romanis munitiones fieri adversus Faliscos potuissent, cum neque tormenta ejusmodi, qualia nunc obtinent, neque machinæ adhiberi, quibus oppidum oppugnaretur, si eo in loco, ubi nunc est Civitas Castellana, situm fuisset. Hæc autem narrandi ratio, qua Livius utitur in ea planitie fuisse ostendit Falerios urbem, in qua est Falaris, ut & superiora se loca haberet, & obsideri, & munitionibus urgeri ad deditionem posset. Addit Livius *c.* XXVII. „ Mos erat Faliscis eodem magistro liberorum, & „ comite uti, simulque plures pueri, quod hodie „ quoque in Græcia manet, unius curæ demanda„ bantur, principum liberos, sicut fere fit, qui scien„ tia videbatur præcellere, erudiebat. Is quum in „ pace instituisset pueros, ante urbem lusus, exer„ cendique causa producere, nihil eo more per belli „ tempus intermisso, tum modo brevioribus, modo „ longioribus spatiis trahendo eos a porta lusu, ser„ monibusque variatis longius solito, ubi res dedit, „ progressus, inter stationes eos hostium, castraque „ inde Romana in prætorium ad Camillum perdu„ xit: ibi scelesto facinori scelestiorem sermonem „ addi-

„ addidit. Falerios se in manus Romanis tradidisse, „ quando eos pueros, quorum parentes capita ibi „ rerum sint, in potestatem dediderit. Quæ ubi Ca- „ millus audivit.....Denudatum eum manibus post „ tergum illigatis reducendum Falerios pueris tradi- „ dit: virgasque eis, quibus proditorem agerent in „ urbem verberantes dedit. Ad quod spectaculum „ concursu populi primum facto, deinde magistra- „ tibus de re nova vocato Senatu, tanta mutatio „ animis est injecta, ut, qui modo efferati odio, „ iraque Vejentium exitum pæne, quam Capena- „ tium pacem mallent, apud eos pacem universa po- „ sceret civitas „. Nihil in hac narratione de descensu Faliscorum puerorum ad Romanos, sed de longioribus spatiis a pueris excursis agitur, quod certe argumento est, Falerios urbem in planitie fuisse sitam. Quid? Si in tabula Peutingeriana, quæ v. seculo, hoc est sub Theodosio Juniore perfecta est, Faleriorum urbs in ea via ponitur, qua iter Ameriam est, hoc modo. *Veiis*: deinde *Vacanas*: post *Nepet*: inde *Falerii*. Quod ipsum videre apud Anonymum Ravennatem VII. aut summum VIII. seculi auctorem, licet *pag*.214. quo loco: *Iulia Perusia*, inquit, *Petona*, *Tuder*, *Ameria*, *Hortas*, *Faleris*, *Galenese*, *Nepe*, *Bacanis*, *Bejos*, *Carejas*, *Roma*. At eo in loco Falaris est sita. Falarim enim urbem Amerina mediam secabat via, ut ex viæ ejusdem Amerinæ ductu etiamnum extantis liquet; fatenturque Fontaninius *lib*.I. *cap*.IV. §.IV. & Holstenius in *Adnot. ad Cluver. Ital. Antiq. p*.59. *lin*. IV. qui sic omnino scribit; „ Tabula itineraria „ maxime ostendit Faleros eodem fuisse situ, ubi nunc „ visuntur reliquiæ. Nam via antiqua silicibus stra-

„ ta, recte Nepi Faleros ducit, & per mediam civi-
„ tatem transit, quod ipse meis vidi oculis. Sed A-
„ merina est via „.

Verum patiar, ut in edito ante loco, eoque natura munito, quod Zonaras scribit, condita initio Faleriorum urbs fuerit; an ea ibi tunc sita, ubi nunc est Civitas Castellana, fuit? Quis enim tam est ignarus ejus regionis, qui Civitatem Castellanam esse eminentiore in loco, quam sit Falaris, constitutam putet? Non enim, qui ex Civitate Castellana Falarim proficiscuntur descendunt. Descenderent autem si in eminentiore, editioreque loco Civitas Castellana esset. Ego autem, si vera Zonaras prædicaret, *Falerios* urbem eo in loco, edito certe, ubi nunc est *Fabrica*, initio conditam fuisse dicerem, cum in eo vetera monumenta sint. Verumtamen demus olim Faleriorum urbem ibi fuisse, ubi est Castellana Civitas, quo demum argumento Civitonici efficient, non ante eam fuisse eversam, ejusque loco fuisse extructam Falarim, quam ortum Christianum nomen, propagatumque fuisset? Fuerit enim (ut Holstenius *loco supra indicato* animadvertit) *Faleriorum urbs olim eo situ ubi nunc Civitas Castellana, posteaque* I. $\frac{1}{2}$ *mil. ab eo loco in planicie nova civitas condita, ubi etiam hoc tempore ruinæ, & vestigia maxima visuntur, quæ Falari nomen retinet*; veterem tamen *Falerios* urbem illam fuisse, quo tempore Christiani in Italia propagari cœperant, ut Episcopum posset habere, quibus monumentis demonstrabunt? At erunt fortasse, qui Fontaninii abutantur verbis, atque hoc pacto argumententur: Quæ Faleriorum urbs Strabonis extabat tempore, & non longe a Flaminia via sita erat; cum Falaris esse non pos-

possSet, Civitas Castellana fuerit, necesse est. Vivo autem Strabone, aut paullo post, quam is interiit, quamque Christiani occupare Italiam cœpissent, eversam eam fuisse, nemo usquam dixit. Aliquamdiu ergo substiterit, Episcopumque habere potuerit, necesse est.

Miror, esse hoc tempore aliquos, qui abutantur, corruptissimo Strabonis loco. Habet autem is locus hoc modo: *lib.v. pag.345. tom.I. opp. edit. Amstel. ann.1707.* φαλέριον, καὶ φαλίσκον, καὶ Νέπητα .... ἔνιοι δ' οὐ τυῤῥηνοὺς φασὶ τοὺς φαλερίους ἀλλὰ φαλίσκους πολιν ἰδιόγλωσσον .. οἱ δὲ οἰακοῦ συμβαλίσκον λέγουσι ἐπὶ τῇ φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον μεταξὺ ὀχηκλῶν, καὶ ῥώμης. Sic autem est is locus ab interprete versus in latinam linguam: *Faleria, Falisca, Nepeta ... sunt qui Falerios negent esse tyrrhenos; sed Faliscos gentem esse peculiarem, dicant, peculiari lingua utentem. Alii conjectant Faliscam urbem sitam esse in Flaminia inter Ocriculum, & Romam.* Sed postrema hujus interpretationis verba græcæ sententiæ non respondent. Nam τοὺς φαλίσκους πόλιν ἰδιόγλωσσον, non *Faliscos gentem peculiari lingua utentem, sed Faliscos civitatem propria lingua utentem* significat. Rursus verba οἱ δὲ οἰακοῦ συμβαλίσκον ... qua demum confidentia vertuntur *Alii Faliscam urbem*, cum nihil ipsa per se significent? Scio Hermolaum Barbarum, aliosque pro οἰακοῦ συμβαλίσκον ... legisse αἶκον φαλίσκον, *æquum Faliscum*. Verum hi egerunt suo arbitratu. Nam locum fuisse ullum, qui *Æquus Faliscus* appellaretur, nemo fuit umquam Geographorum, qui scriberet. Virgilii enim versus *695. lib.* VII. Æneidos.

Fescen-

Fescenninas acies, Æquosque Faliscos

Et Silii Italici v. 490 *lib.* VIII.

Hos juxta Nepesina cohors, Æquique Falisci.

Æquos, hoc est *justos*, ut Servius ad eumdem Virgilii versum adnotavit, fuisse appellatos Faliscos demonstrant, urbem autem *Æquum Faliscum* vocatam, non item. Verum ut videatis, quam sit parum ei Strabonis loco fidendum, animadvertatis volo, longe aliter eum fuisse a Clvverio lectum. Atque is quidem Auctor *lib.* II. *Italiæ Antiquæ cap.* III. *p.* 538. *edit. Lugd. Batav. ann.* 1624. sic eum describit locum *ἔνιοι δὲ τυῤῥηνοὺς φασὶ τοὺς φαλερίους, ἀλλὰ φαλίσκους ἴδιον ἔθνος εἶναι. καὶ ἰδιόγλωσσον, καὶ τοὺς φαλερίους πόλιν αὐτῶν, οἱ δὲ αἴκουμ φαλίσκουμ λεγουσιν ἐπὶ τῇ φλαμινίᾳ, ὁδῷ κείμενον μέταξυ ὀκρικολῶν, καὶ ρώμης.* Sed Cluverius qui græcum locum haud inepte sese emendasse putavit, eumdem locum pessime, & contra atque græca ferant, latinum fecit. Vertit enim hoc modo: „ Quidam vero negant Faliscos esse Etruscos, sed Faliscos peculiarem esse gentem, peculiari utentem lingua, urbemque eorum Falerios; quam nonnulli *Æquum Faliscum* vocant in via Flaminia sitam inter Ocriculos, & Romam „. At Strabo posteaquam *καὶ τοὺς φαλερίους πόλιν αὐτῶν* & *Falerios eorum urbem* scripsit, teste Cluverio, punctum adposuit, orsusque alteram periodum est, hoc modo: *οἱ δὲ αἴκουμ φαλίσκουμ λέγουσιν ἐπὶ τῇ φλαμινίᾳ ὁδῷ.* Jam verba *οἱ δὲ αἴκουμ φαλίσκουμ* non *quam nonnulli Æquum Faliscum &c.* Sed *alii autem Æquum Faliscum &c.* significant. Neque vero eadem verba solum, sed res etiam ipsa id postulat. Strabo enim sen-

Sententias Hiſtoricorum, Geographorumque duas commemorat. Quoſdam enim fuiſſe ait, qui Faliſcos gentem fuiſſe non Etruſcam, ſed peculiarem dicerent, quæ propria uteretur lingua, unamque tantum urbem haberet *Falerios*; quæ veterum certe plerorumque omnium opinio fuit, quod paulo poſt oſtendam. Ubi autem quoſdam fuiſſe ſtatuit, qui unam urbem Faliſcorum Falerios dicerent; tum addidit *οἱ δὲ* &c. *alii autem &c.* In his porro verbis, ſententiiſque quid eſt, quod *Falerios* urbem eamdem, atque *Æquum Faliſcum* fuiſſe oſtendat? Immo vero cum *Falerios* urbem ſuo tempore adhuc extitiſſe Strabo indicet, animadvertatque in exiguum eam oppidum evaſiſſe; atque ita paullo poſt loquatur, ut *Æquum Faliſcum* ætate ſua nullum omnino fuiſſe innuat; argumento eſt, eorum quidem *aliorum*, quos nominat, opinione, non eamdem fuiſſe *urbem æquum* Faliſcum, ac urbem *Faleriorum*. Atque oppidulum ætate Strabonis, hoc eſt imperante Tiberio fuiſſe Falerios, idem eſt auctor Strabo *ibid. pag.* 345. quo loco, poſteaquam aliquot urbium Etruſcarum meminit tum: *πρὸς δὲ ταύτας*, *inquit*, *πολίχναι συχναὶ βληράτος, καὶ φερεντινὸν, καὶ φαλέριον* &c. *Poſt has autem oppidula crebra Bleratos, & Ferentinum, & Falerium.* At ubi de *Æquo Faliſco* agit, *alios* fuiſſe ait, qui *Æquum Faliſcum* dicerent fuiſſe in *via Flaminia*. Quod ſi ullum tunc fuiſſet oppidum *æquus Faliſcus*, extare illud ipſe dixiſſet, ut de *Faleriis* dixit, non vero confugiſſet *ad aliorum* quorumdam auctoritatem.

Sed dicet quiſpiam, a Strabone præter *Falerios* oppidulum, fuiſſe etiam *Faliſcum* inter oppi-

dula numeratum; quare Faliſcum non idem fuiſſe atque Falerios. Sit ita plane. Fuerit illud quidem oppidulum. Verum ecquid inde effici poterit, quod Caſtellanenſibus præſidio eſſe poſſit. Oſtendant id oppidulum Faliſcum non Galleſium fuiſſe, quod Maſſa putat, ſed Caſtellanam Civitatem. Non enim indi cat Strabo ubinam illud fuerit ſitum. Rurſum Faliſcum illud *oppidulum* viguiſſe poſt ætatem Strabonis, Epiſcopumque aliquando habuiſſe demonſtrent. Demonſtrare autem numquam poterunt. Nam Falaritanos, ſeu Faleriorum Epiſcopos in notitiis Eccleſiaſticis nominatos invenient, Faliſcæ autem nullos omnino.

Quid? quod diligentiſſimus Cellarius *lib.* II. *cap.* IX. *Geogr. Antiq. pag.* 726. *ſeq. edit. Lipſ. an.* 1701. *tom.* I. Strabonem reprehendat, oſtendatque lapſum eum fuiſſe, quo loco, præter Falerios urbem Faliſcorum, alteram indicaſſe videtur Faliſcam? *Falerii oppidum*, inquit, *ad Tiberim, cujus incolæ, aut populus, quos ager ille habuit, Faliſci dicti ſunt. Male igitur Strabo lib.* V. *pag.* 156. *aut quorum ille ſententiam profert. Falerios, & Faliſcos ut gentes, & Solinus cap. de Italia, Faliſcam, & Falerios ut oppida diſtinguunt. Aliter Livius, qui Falerios oppidum nominat, & Faliſcos populum. De oppido lib.* V. *cap.* XXVII. *dicit, proditor puerorum obſidenti Camillo*: „ Falerios ſe in manus Romanis tradidiſſe „ Et *lib.* X. *cap.* XIV. „ ab Sutrio, Nepete, & Faleriis „ Et *lib.* XXI. *cap.* I. *poſt oppidorum nomina, e quibus prodigia nunciabantur* „ Et Faleriis „ cœlum findi viſum „ *Dionyſius Halicarnas lib.* I. *p.* 16. φαλέριον Falerium *vocavit*. De gente autem *Livius lib.* V. *cap.* XXVI. „ Donec M. Furius Camillus in

„ Fa-

„ Faliſcos proficiſceretur „ Et *lib.* X. *cap.* XLV. „ Faliſcos arma Etruſcis junxiſſe „ : Zonaras quoque *tomo* II. *pag.* 32. *optime diſtinxit*. Ait enim ὁ πρός φαλισκὺς πόλεμος bellum adverſus Faliſcos. Et *mox* πολιορκοῦντες πόλιν αὐτῶν ἐρυμνὴν φαλερίυς ὀνωμασμένην „ obſidentes urbem illorum permunitam Falerios nomine „. Idipſum ante Cluverius animadverterat *loco indic.* „ Verum, *inquit*, Romanis XXX. circiter inde „ diſtantibus millia paſſuum urbem ſemper adpellatam fuiſſe *Falerios*, gentem autem, atque agros „ Faliſcos, vel unius Livii frequentiſſimo teſtimonio conſtabit „. Poſt autem quam loca Livii, aliorumque Hiſtoricorum, Geographorumque deſcripſit, tum „ Atque hæc fere ſunt, *inquit*, auctorum loca, „ quibus memorantur vocabula Faleriorum, ac Faliſcorum, quæ ideo omnia huc adſcripſimus, quo „ dilucidius cum veterum Geographorum, Strabonis, & Solini, ac Stephani, tum hoc ſeculo illorum ſententiam ſequentium error adpareat, qui „ duo diverſa inde fecerunt oppida „. Sed is auctor cum alios emendat, tum ipſe ſe implicat, ut qui *Falerios* cum *Faliſca*, *Æquoque Faliſco* falſo confictis oppidis turbet, ac ſi unum conſtituerent oppidum, ſitum in Flaminia via. Quis enim veterum fuit, qui Falerios urbem ſitam fuiſſe in Flaminia via diceret? Cum autem nemo fuerit, cumque ex tabula Peutingeriana conſtet, *Falerios* urbem ſitam fuiſſe in *Amerina via*; concludendum profecto eſt, erraſſe Strabonem, non ſolum quod *Faliſcam*, *Æquumque Faliſcum* urbes fuiſſe affirmaſſe viſus ſit; ſed etiam quod in Flaminia via *Æquum Faliſcum* fuiſſe ſtatuerit; errare-

que etiam Cluverium, qui eadem in via fuisse Falerios putarit.

Redeo ad Fontaninium. Nego *Falerios* urbem sitam fuisse, auctore Strabone, ad *Flaminiam* viam. Strabo enim *Æquum Faliscum*, vel, si placet etiam, *Faliscum*, quod oppidum a Faleriis distinguit, ad *Flaminiam viam*, vel in *Flaminia via*, situm fuisse scribit; Falerios autem oppidum situm in *Flaminia via*, vel *ad Flaminiam viam*, nusquam scribit. *Faliscum* autem, si modo ullum fuit, idem atque *Falarim* non fuisse assentior; idem autem *Falerios* oppidum, atque *Falarim* non fuisse, nullo modo prorsus assentior. Eversum porro *Falerios* oppidum, ejusque loco *Falarim* conditam, neque Strabonem, neque alium quemquam statuisse, præter unum Zonaram historicum profecto recentem, video. At Zonaras id *oppidum Falerios* fuisse in Flaminia via non affirmavit. Quamquam Zonaræ XII. seculi scriptori, quam parum sit fidendum nemo est, arbitror, qui non intelligat. Ac Strabo quidem, qui sub Tiberio floruit, Falerios sua ætate oppidulum fuisse testatur. Ex ruderibus autem Falaris perspicitur, eam amplissimam olim fuisse urbem. Auctam vero fuisse post Strabonis ætatem *Falarim*, quis unquam dixit? *Falaris* ergo, ante Strabonis ætatem ampla urbs, eademque atque *Falerii* fuerit, necesse est. Quæ res illustrari auctoritate Eutropii IV. seculi scriptoris potest. Is in *extr.* II. *libro p.*519. *Hist. Rom. Epitom. edit. an.*1625. „ Q. Lutatius, *inquit*, Au„ lus Manlius Coss. creati Bellum Faliscis intulerunt, „ QUÆ CIVITAS ITALIÆ OPULENTA QUONDAM FUIT „. Quibus verbis plane ostendit, Falerios urbem quondam

dam opulentam, a Strabonis temporibus, hoc eſt a primo Eccleſiæ ſeculo, quo *oppidulum* erat, ad IV. non creviſſe. Seculo autem inſequenti hoc eſt V. quo tabula Peutingeriana perfecta fuit, ibi *Faleriorum* urbs ſita erat, ubi nunc eſt *Falaris*, nempe in *Ameri-na via*, quinto ab urbe Nepete lapide. Nam Ameri-na via *Falarim* ſecat, ut ex ejuſdem viæ ductu liquet, & Fontaninius ultro fatetur. Poſt ſeculum V. everſam antiquam Faleriorum urbem, quæ in oppidulum evaſerat Strabonis tempore, novamque conditam Falarim, nemine id veterum affirmante, quis credat? cum præſertim ruinæ Falaris evincant, ampliſſimam eam olim fuiſſe urbem, neque quiſquam, ut dixi, prodat fuiſſe eam amplificatam poſt V. ſeculum. Relinquitur ergo, niſi contra rem habere veterum teſtimoniis Civitonici demonſtrent, ut *Falaris* idem oppidum fuerit atque *Falerìi*, quod oppidulum Strabo memorat, cujuſque meminit Eutropius. Quare Epiſcopi, qui fuerunt jam inde ab exordio Eccleſiæ Faliſcorum, non Caſtellanenſes, ſed Falaritani fuerint neceſſe eſt. Quamquam *Falaritanorum* ſeu *Falerinorum* etiam Epiſcoporum ante extremum fere ſeculum VI. ſeu multo poſt perfectam Peutingerianam tabulam, invenire potui neminem. Johannes enim Faleritanus, ſeu Falerinus ſubſcripſit Concilio Romano *an.* 595. *tom.* III. *Concilior. edit. Pariſ. Hard.* Caroſus Falaritanus vixit *an.*649. *ibid. pag.*928; Johannes alter Falaritanus adfuit Synodo Rom. *an.* 680. *tom. eodem pag.* 1139. Tribunitius Falaritanus interfuit Synodo Roman. *an.* 721. *ibid. pag.*1866. Johannes Falaritanus *ann.*743. Hadrianus Falaritanus *ann.* 826. *ibid. tom.* V. *pag.* 62. & Johannes quartus Falaritanus *an.* 853. *ibid.*

tom. V. *pag.* 53. & *an.* 808. *ibid. pag.* 870. ut recentiores omittam, Romanis Conciliis adfuerunt. Quamobrem ſtatuendum eſt Caſtellanenſes, ſi modo ullum eorum oppidum ante Falarim, vel ante Claudium, ſeu ante Strabonis tempora fuit, Epiſcopum non habuiſſe. Paucis omnia, quæ hactenus ſum perſequutus complectar. Ajo igitur non agere jure adverſarios, qui cum perſpicua, ac ſolida, quæ producimus, documenta conjecturis quibuſdam obſcurare, infirmareve conentur; tum 1. Zonaræ ipſi recentis certe Scriptoris teſtimonio abutantur, qui contra veterum omnium hiſtoricorum fidem in edito loco, eoque natura munito fuiſſe *Falerios* urbem olim conſtitutam ſcribit. 2. Etiamſi vera Zonaras tradidiſſet, non tamen adverſarios evincere poſſe, editum locum, in quo Faleriorum urbs fuit, eum omnino fuiſſe, in quo eſt *Civitas Caſtellana*. 3. Quod ſi evincere poſſint, nihiloſecius hærere illos, neceſſe eſt. Non enim efficient, everſam fuiſſe Faleriorum urbem antiquam, ſeu *Civitatem Caſtellanam*, novamque *Falarim* conditam poſt propagatum in Italia Chriſtianum nomen. 4. Nec rurſum id eis, ſi demonſtretur, adjumento eſſe, niſi una oſtendant, Epiſcopum habuiſſe tunc ſe, cum adhuc urbs ipſa conſiſteret. Nam ſi vobis, qui vetuſtate urbis veſtræ certa, atque teſtata gloriamini, repugnant, ac niſi ſeriem Epiſcoporum veſtrorum tam eſſe veterem demonſtraveritis, quam putatis, numquam ceſſuros minantur; quid eſt, quod ſibi credi ſperent, Epiſcopos ſe, ſine documentis, habuiſſe, ajentibus?

Quin etiam auctor illis ſum, ut ne confidant, proficere ſe Fontaninii auctoritate poſſe, *Faleriorum urbem*,

quæ

quæ in eo loco, ubi eſt nunc Civitas Caſtellana, extabat, multo poſt tempora Diocletiani fuiſſe eversam pugnantis. Quamquam ſi recentibus teſtibus uti velint, multo eſſe magis Holſtenio harum rerum peritiſſimo ſtandum, fateantur oportet, qui antiquum oppidum Faleriorum ante Ovidii ætatem, adeoque ante illatum in Italiam Chriſtianum nomen, fuiſſe ſolo æquatum confirmat *in Adnot. in Ital. Ant. Cluverii pag. 57. edit. Rom. an. 1666.* Præterea multa Fontaninius vir alioqui doctiſſimus ibidem *lib.* I. *cap,* IV. *num.* IV. peccat.

I. Faliſcam, Faleriorumque urbem confundit, unaque miſcet, contra atque Strabonis teſtimonium poſtulet. 2. Maſſæ vitio dat, quaſi Faleriorum oppidum idem atque Galeſium eſſe ſtatuat, cum Maſſa non *Falerios*, ſed *Faliſcam* Straboni memoratam *Galeſium* eſſe, *Falerios* autem non diſcrepare a *Falari* dixerit. 3. Falarim a *Civitate Caſtellana* XII. mill. paſſ. diſtare ſcribit, cum vix II. diſtet.

II. Jam ex alto veterum ſcriptorum ſilentio aſſequi poteritis, non ante x. Eccleſiæ ſeculum auditum Caſtellanenſium nomen fuiſſe. Ac ſeculo ſummum x. in Synodis primum, aliiſque Eccleſiaſticis monumentis fieri cœpit Civitatis Caſtellanæ, Epiſcoporumque Caſtellanenſium mentio. Horum ſeriem deſcribit Ughellius minus caſtigate quidem in *Italia Sacra tom.* I. *pag.* 596. *ſeqq. edit. Veneta ann.* 1717. quare emendatus eſt a novo Editore ejus operis Veneto Nicolao Coleto *tom.* X. *pag.* 91. *num.* XI. *edit. ejuſd.* quo loco ſeriem non a x. ſed ab XI. ſec. repetens: „ Hinc autu„ mo, *inquit*, (a Benedicto, qui anno 1037. floruiſſe „ creditur) exordiendam eſſe Civitatis Caſtellanæ „ Epi-

„ Episcoporum seriem: Crescentianum vero, & Pe-
„ trum, quos Ughellus loco citato Benedicto præ-
„ ponit, expungendos, & Crescentianum quidem,
„ seu melius Crescentium inter Falaritanos, ut fe-
„ cimus, Petrum inter Castellanos, seu Typherna-
„ tes, quos inter idemmet Ughellus Petrum an-
„ numerat ad an. 1048. recensendos „. Jam his paullo ante ibidem dixerat: „ Crescentius in Ro-
„ mano pariter Concilio an. 1015. memoratur, &
„ Falarensis dicitur in Romana Synodo, in qua
„ ann. 1036. vel 1037. Andreas Perusinus Episcopus
„ cedit omni jure in Monasterium s. Petri. Hunc
„ autem illum ipsum Crescientianum puto, a quo
„ suam seriem Civitatis Castellanæ Episcoporum
„ incepit Ughellus „. Atque *Historia quidem inventionis Corporum Sanctorum Martyrum Abundii Presbyteri, & Abundantii Diaconi ex Cod. Mss. Edit. Romæ an.* 1584. post eversam Falaritanam urbem perfecta esse videtur; exque ea re fuisse factum, ut ejus historiæ auctor Castellanensem dixerit Episcopum (seculi x. cum xi. & Falarensis fuerit) Crescentianum, quod Falaris modo sit in Castellanensi Dioecesi sita. Alioqui Crescentianus, seu Crescentius in Falaritanorum Episcoporum serie non numeraretur. Nihilo secius freti Castellanenses his tam sublestæ fidei monumentis (quæ etiamsi genuina veraque essent, multo tamen essent Hortanis recentiora) præferri Ecclesiam suam Hortanæ oportere defendunt. Quæ sane res adeo criticæ artis, historiæque legibus repugnat, ut ferenda non videatur.

CA-

CAPUT SEXTUM.

I. Labuntur Mazzocchius, aliique, qui Vejos eosdem atque Castellanenses fuisse. II. Quique Vejentanos Episcopos Antistites fuisse Civitatis Castellanæ putant. III. Errant item, qui Falaritanæ Ecclesiæ Episcopatum in Castellanensem Ecclesiam translatum, post eversam Falarim, arbitrantur. IV. Neque auscultandum est iis, qui Castri Felicitatis Præsules Civitati eidem Castellanæ præfuisse pugnant.

I. MAzzocchius in eo Libro P. I. *seqq.* quem italice *de Veiis defensis scripsit*, quemque Freigerus latinum fecit, Burmanusque in Collectionem Historicorum Italicorum transtulit *tom.* VIII. *P.* I. *pag.* 2. *seqq. Et in Epistola ad Camillum Pamphilium ibid. pag.* 2. *seqq.* Vejorum urbem in eo loco fuisse, in quo est Civitas Castellana defendit. Sed is cum Dionysio, aliisque Historicis vehementer pugnat. Dionysius enim XII. millia pass. Vejos Roma distasse statuit. Sic enim habet *lib.* II. *pag.* 116. *edit. an.* 1586. πόλις, ἣ καλεῖται μὲν Οὐιοὶ, ἀπέχει δὲ τῆς ῥώμης ἀμφὶ τοὺς ἑκατὸν σταδίους: *Urbs, quæ appellatur Veii, distat Roma centum circiter stadia.* Præterea in Tabula Peutingeriana iter Roma Ameriam describitur hoc modo. *Roma ad Sextum m. p.* VI. *Vejos* VI. *Vacanas* IX. *Faleros* V. *Cast. Amerino* XII. *Ameria* VIII. Itaque XII. *m. p. Roma ad Vejos* usque numerabantur. Confer Cluverium *lib.* II. *Ital. Antiq. p.* 529. & Cellarium *lib.* II. *cap.* IX. *pag.* 731. *tom.* I. & Nardinum *in Veiis Antiquis lib.* I. *cap.* III. *pag.* 19. *tom.* VIII. P. III.

P. III. Theſ. Burman. *pag.* 15. & Fabrettum *Inſcrip. Domeſt. Antiq. cap.* III. *pag.* 170. quo loco inſcriptionem ſatis longam affert, quæ inter Vejorum rudera XII.circ.m.p. ab Urbe reperta, tranſlataque in Muſeum Cianpinum fuerat, habebatque hoc modo:

CENTVM · VIRI · MVNICIPII · AVGVSTI · VEIENTIS
ROMAE · IN · VENERIS · GENITRICIS · CVM · CONVENIS
SENT·PLACVIT·VNIVERSIS·DVM·DECRETVM·CONSCRIBERETVR
INTERIM · EX · AVCTORITATE · OMNIVM · PERMITTI
C. IVLIO · DIVI · AVGVSTI · L · GELOTI · QVI · OMNI · TEMPORE
MVNICIP·VEIOS·NON·SOLVM·CONSILIO·ET·GRATIA·ADIVVERIT
SED·ETIAM·IMPENSIS·SVIS·ET·PER·FILIVM·SVVM·CELEBRARI
VOLVERIT · HONOREM · EI · IVSTISSIMVM · DECERNI · VT
AVGVSTALIVM · NVMERO · HABEATVR · AEQVE · AC · SI · EO
HONORE · VSVS · SIT · LICEATQVE · EI · OMNIBVS · SPECTACVLIS
MVNICIPIO · NOSTRO · BISELLIO · PROPRIO · INTER · AVGVS
TALES · CONSIDERE · CENISQVE · OMNIBVS · PVBLICIS
INTER · CENTVM · VIROS · INTERESSE? ITEMQVE · PLACERE
NE · QVOD . AB · EO · LIBERISQVE · EIVS · VECTIGAL · MVNICIPII
AVGVSTI. VEIENTIS · EXIGERETVR

ADFVERVNT

C· SCAEVIVS CVRIATIVS	II VIR	GN· OCTAVIVS · SABINVS
L· PERPERNA PRISCVS		T· SEMPRONIVS · GRACCVS
M· FLAVIVS RVFVS · Q		P ACVVIVS · P · F · TRO
T· VETTIVS RVFVS · Q		C· VEIANVS · MAXIMVS
M·TARQVITIVS SATVRNIN		T· TARQVITIVS · RVFVS
L· MAECILIVS SCRVPVS		C· IVLIVS · MERVLA
L· FAVONIVS LVCANVS		

ACTVM

GAETVLICO · ET · CALVISIO · SABINO COS

Pagina autem 228. ſeq. eamdem illuſtrans inſcriptionem ſit ſtatuit: „Illud præcipuum conſideremus, quod „ ſi qua controverſia de ſitu Vejentanæ urbis remane- „ bat, ea omnino ſublata eſt ex loco, unde lapis ef- „ foſſus

„ fosus fuit, in meditullio nempe ambitus rupium,
„ & mœniorum, quæ munitionem constituebant,
„ & propè Junonis Argivæ templum inter Creme-
„ ram fluvium vulgo *la Valca*, & *Castrum Insulæ*
„ ad ipsam viam Vejentanam, quam a Cassia de-
„ ducit Tabula Pentigeriana, nosque ejus deflexum
„ ad VI. lapidem, hoc est a stadio uno ultra no-
„ vam s. Andreæ Ecclesiam, & reditum in Cas-
„ siam post alia III. a Veiis milliaria, ut & Holste-
„ nius adnotavit *ad Cluverium p. 529. lin. ult.* „ Quid hoc testimonio clarius? Diligentissimum autem, nulloque studio partium detentum, tamque præclaro monumento in hanc sententiam inductum Fabrettum (cui Holstenius, Nardiniusque præiverant, cuique Cellarius assentitur) postponere Dominico Mazzocchio Civitonico viro neque diligenti, neque ab studio partium alieno, neque veterum auctoritate nixo velle, idem est profecto ac amore duci patriæ, non veritatis.

II. Sed ubinam Vejentes antiqui fuerint, non æque curo. Sit enim vera, si volent adversarii, Eutropii sententia (modo error librariis non sit tribuendus) qui XVIII. mill. Vejos Roma abfuisse scribit *l.* I. *c.* XVII. Veii certe, qui iis temporibus nominantur, quibus Episcopi Vejentes florebant, XII. millia pass. Roma aberant. Nam ante medium V. seculum nulli Episcopi Vejentes in monumentis Ecclesiasticis commemorantur. Seculo VII. hoc est anno 680. Andreas Vejentanus Synodo Romanæ interfuit *tom.* III. *Concil. edit. Hard. pag.* 1138. Jam vero sub Honorio, Theodosioque Imperatoribus perfecta fuit tabula Peutingeriana, hoc est medio V. seculo. In ea autem tabula, ut paullo ante vidimus, Roma ad Vejos XII. mill.

passuum adnotantur. A Veiis ad Bacanas IX. A Bacanis ad Nepet oppidum via Amerina IX. Ab oppido Nepet ad Urbem Falerios mill. pass. V. quot fere hoc tempore numerantur a Nepet urbe ad Falarim. Vide tabulam. Quod si V. seculo Vejentes XII. mill. pass. aberant, ut certe eos absuisse constat, ab urbe Roma, qui demum esse in Civitate Castellana Vejentanus Episcopus poterat, cum hæc *Civitas* XXXV. mill. pass. ab Urbe distet?

III. Non assentior autem iis, qui Falarim ante seculum IX. eversam, ejusque loco Civitatem Castellanam conditam, atque in hanc urbem Falaritanum Episcopatum fuisse translatum jactant. Nam Anonymus Ravennas VII. ut dixi, aut (quod Symmachus Mazzocchius Capuanus vir summus animadvertit in præclaro *Comment. in Æn. tabulas Heracleenses par.* II. *pag.* 520. *edit. Neap. an.* 1755.) VIII. seculi scriptor *Falaris* urbis post *Nepet* meminit, civitatis autem Castellanæ non item. Qua ex re sequitur, cum is auctor scriberet, Falarim adhuc substitisse, Civitatis autem Castellanæ ne vestigium quidem ullum fuisse. Atque Castellanæ quidem Antistes, cujus fit in Synodo Romana sub Leone IV. *an.* 853. *tom.* V. *Concilior. edit. Harduin. pag.* 79. mentio, quemque Fontaninius commemorat, Castri Felicitatis, hoc est Tifernas, non Civitatis Castellanæ, Episcopus fuit. Nam Tifernates *Castellani* jamusque ab VIII. seculo appellabantur, ut constat ex epist. LX. Hadriani I. Papæ ad Carolum Magnum. „ Reginaldus, *inquit*, in eamdem Civita-„ tem nostram Castelli Felicitatis properans, eosdem „ Castellanos abstulit [1] „. Immo vero in Concilio Romano an. 1059. subscribunt Episcopi D. Castellanensis,

1 *Vide tom.* I. *Annal. Camald. pag.* 364.


Castello Firmani
Firmo vicense
Pitinum
Ancona
Fano fortunae
Castello amerino
Via Amerina
Vacanas
Aquas Apollinaris
Castro novo
Punicum
Pyrgos
Alsium
Via Aurelia
Ponte
Aqua viva
Cosa
Tarquinos

nensis, & Hermannus Castellanus, qui certe Castellanus Tifernas fuit. *Vide tom.* VI. *Concil. edit. Hard. P.* I. *pag.* 1067. Quare miror Fontaninium tam fuisse parum hoc in genere diligentem, ut non animadverteret, eorum, qui Civitatis Castellanæ ante x. seculum meminerint, Scriptorum fuisse neminem, adeoque ostendi nullo modo posse *Castellanum* illum Episcopum præfuisse Ecclesiæ Civitonicorum. Nam quod idem ait Fontaninius Falarim fuisse eversam ante x. seculum, vel seculo circiter IX. Falaritanumque Episcopum, qui eo tempore nominatur, non Falaritanæ urbis, quæ haud procul Nepet abesset, sed Falerionis in Piceno fuisse Episcopum, falsum est. Extabat enim adhuc seculo XI. Falaris. Itaque an. 1068. Judex Falaritanus Diplomati Farfensi subscribit, quo in Diplomate fit etiam comitis Castellanæ Civitatis commemoratio. Quare post conditam Civitatem Castellanam extabat Falaris, judicemque habebat. Consule Cl. Galletium libro inscripto: Della città di Gabio &c. *pag.* 27. *edit. Romanæ an.* 1757. qui „ L'anno, „ *inquit*, 1064. al primo Luglio Ind. Pietro dativo, „ e notajo de Monisterio Montis Soractis scrive un „ istromento, con cui Domnus Rainerius inclitus „ Comes, filius vero Domni Saxonis incliti Comitis „ de Comitatu Civitatis Castellanæ, & Domna Stephania inclita Comitissa donano al Monasterio di „ Farfa la Chiesa di s. Lorenzo di Carcari. Si sottoscrivono fra gli altri Fenzo di Crescenzo Giudice „ de Fallari „. Sed dicet fortasse quispiam, Episcopum Castellanensem XI. seculo dictum etiam fuisse Episcopum Falaritanum, ut ex subscriptione Dipl. Benedicti IX. an. 1038. quam profert *Ughell. tom.* I.

*pag.*597. *edit. Venet.* intelligitur, quæ ſic habet: *Benedictus Falaritanæ & Caſtellanæ Epiſcopus*.

Ego vero eam ſubſcriptionem nihil ad rem pertinere ajo. Eſt enim plena difficultatum. Nam an. 1038. facta dicitur, hoc eſt Indict. VI. Benedicti IX. temporibus, Petri Epiſcopi s. Rufinæ cauſſa. At Petrus s. Rufinæ Antiſtes obiit anno 1035. ut ex ejus epitaphio, quod in templo ſancti Alexii Romæ extabat, referturque ab Ughellio *tom.* I. *De Epiſc. Portuenſibus*, *& Silvæ Candidæ pag.* 107. *edit. Venetæ & a Cl. Nerinio De Templo*, *& Coenobio s. Alexii p.*177. *edit. Rom. an.* 1752. conſtat. Ac pro VI. Indictione II. aut III. ponendum Bollandiani *tom.* I. Junii *pag.* 98. ſuſpicantur. Verumtamen vereor, ut id perſuadere cuiquam poſſint. Quo enim modo *an.* 1033. hoc eſt Indict. illa II. vel III. Benedictum ſubſcripſiſſe diplomati Benedicti IX. credemus vivo Epiſcopo Falaritano Creſcentio, qui ab anno 1015. ad annum ſaltem 1037. Epiſcopatum Falaritanum obtinuit, ut conſtat ex Synodo Romana ſub Benedicto VIII. *tom.* VI. *Concilior. an.* 1015. ubi ſic habetur: *Ego Creſcentius Falaritanæ Eccleſiæ Epiſcopus*, & ex altera Synodo Romana ſub Benedicto IX. *ann.* 1037. *pag.* 916. *tom. eodem* quo loco ſubſcribit Creſcentius ipſe hoc modo: *Creſcentius Fallarenſis*? Quod ſi ſunt, qui Creſcentios duos ponendos putent, quorum alter præceſſerit Benedictum, alter Benedicto ſucceſſerit, jam hoc aſſequemur, non fuiſſe junctum Caſtellanenſem Epiſcopatui Falaritano, ut deinceps poſt Benedictum, qui Falaritani, iidem Caſtellanenſes Epiſcopi eſſent; cum Creſcentius Benedicti ſucceſſor, Falarenſem ſe, non Ca-

Castellanensem appellarit antistitem, rursumque an. 1059. Castellanensis Petrus apud Ughellum *ibid. pag.* 597. *num.* IV. Castellanensem vocarit sese, non vero Falaritanum. Fac autem Benedictus utroque Episcopatu potitus fuerit, ut dubium illud diploma Benedicti IX. postulat, an quidquam impediebat, quo minus unus, idemque Episcopus duas Ecclesias ita moderaretur, ut id juris in successores non manaret? Extabat adhuc an. 1064. Falaris, ut ex monumento Farfensi demonstratum est. Itaque idem tunc Episcopus Ecclesiam Castellanensem gubernabat, & Falaritanam, ut Coloniensis E. G. Ratisbonensem. Deinceps vero ecquis demum Antistes Castellanensium fuit, qui se Falaritanum diceret? Si autem post id tempus nullus fuit Antistes Castellanensium, qui se Falaritanum appellaret, quibus argumentis effici poterit, Falaritanum Episcopatum fuisse translatum in Castellanam Civitatem? Afferant adversarii monumentum aliquod, quo evinci queat, id genus translationis, demonstrarique attributa Castellanæ Ecclesiæ fuisse Privilegia Ecclesiæ Falaritanorum. Cum autem nullum proferant, fore ne quemquam tam ineptum putant, qui ipsis hæc sine teste jactantibus credendum arbitretur? An æquum id esse dicent, credi sibi, qui nihil habeant monumentorum, non credi autem Hortanis manifestis testimoniis pro suæ Ecclesiæ vetustate pugnantibus? Sarzanenses ecce Episcopi Lunensis Ecclesiæ privilegiis gaudent, sed ii semper Lunenses etiam sunt appellati, etsi Lunensium urbis ne vestigia quidem extent. Contra Castellanenses Antistites post æquatam solo Falarim numquam sibi adsumserunt titulum Antistitum

tum Falaritanorum. Quod ſi, ob propinquitatem, ſibi Eccleſiæ Falaritanorum nomen, privilegiaque competere dixerint, jam hoc ſibi Viterbienſes aſſument, privilegiis ſe gaudere Eccleſiæ Ferentanorum, adeoque ſuum Epiſcopatum eſſe Tuſcanenſi antiquiorem defendent, quod tamen Innocentius III. vehementer negat. Nam ſi quod eſt decus Eccleſiæ Viterbienſis, id eſse totum ex Tuſcanenſi Eccleſia, cui adjuncta peculiari modo fuerat, non autem ex ulla alia, quæ ei propinqua, vetuſtiorque Tuſcanenſi fuiſſet, repetendum ſcribit. *Lib. enim* X. *epiſt.* CXXXIX. *tom.* II. *edit. Balutii Pariſ. an.* 1682. „ Ex Privilegio, „ *inquit*, felicis memoriæ C. Papæ prædeceſſoris no„ ſtri cognovimus evidenter, quod ipſe fidem, & de„ votionem veſtram attendens de communi fratrum „ ſuorum conſilio Viterbienſe oppidum honorabili „ Civitatis nomine inſignivit, & Pontificalis Ca„ thedræ dignitate donavit; auctoritate ſtatuens „ Apoſtolica, ut Viterbienſis Eccleſia cum Tuſca„ nenſi, Centumcellenſi, atque Bledanenſi (Blera„ nenſi) Pontificalem obtineret deinceps dignitatem. „ Nos autem, qui fidem, & devotionem veſtram „ ipſa præſentia corporali certius ſumus experti; „ beneficium pricipale plenius interpretari volentes, „ illam Viterbienſi Sedi erga Centumcellenſem, & „ Bledanenſem Diœceſes honorificentiam confirma„ mus, quam circa ipſas Tuſcanenſis ſedes dinoſci„ tur hactenus habuiſſe, cui Viterbienſis Eccleſia ſpe„ cialiter eſt unita; ſtatu tamen illarum ſedium „ Centumcellenſis, & Bledanenſis in ſuo jure manen„ te. Nulli ergo &c. „ Animadvertatis autem volo, Eccleſiam Viterbienſem, etſi *ſpecialiter* erat *unita* Eccleſiæ,

clesiæ, ac sedi Tuscanensi, nihilominus prælatam non fuisse Ecclesiis Centumcellensi, atque Bleranæ ante Innocentii III. decretum, propterea quod ipsa per se Viterbiensis sedes Centumcellensi, atque Blerana esset recentior. Decreto autem Innocentii, ob Viterbiensium erga sedem Apostolicam merita, prælatam postea fuisse. At junctam *speciali modo* Ecclesiæ Falaritanæ Castellanensem fuisse, quibus demum diplomatibus adversarii umquam efficient? Fac autem juncta *speciali modo Falaritanæ* fuerit Ecclesia Castellanensis, an ullum *decretum* fuit a Pontificibus datum, ex quo præferri eam Hortanæ ob hanc caussam oportere, intelligeretur? At opus hoc certe decreto fuisset; alioqui cur decretum fuisset pro Viterbiensi sede publicatum ab Innocentio? Cum autem nullum ejusmodi decretum afferre Castellanenses, Epistolam nullam, nullum monumentum possint, quid est, quod Falaritanæ Ecclesiæ caussa suam esse sedem Hortensi præferendam putent? Demus tandem Episcopum Castellanensem esse etiam Falaritanum. An idcirco erit Castellanensis Episcopatus Hortano vetustior? Ecquod enim documentum extat Ecclesiæ Falaritanæ ante VI. seculum? At extat Ecclesiæ Hortanæ seculo IV. perfectum monumentum Episcopi Lanni.

IV. Extremum est, ut breviter de Castro Felicitatis agam. Hujus jam vigebant seculo Ecclesiæ VIII. Episcopi. At Hortanorum jam usque a seculo IV. Antistites commemorantur. Grandius Monachus Camaldulensis *in Appendic. ad epist. ad Pandect. &c. pag.* 105. sententiam describit *anno* 715. latam, in qua *Theodori Episcopi Castri Felicitatis fit mentio*. Eamdem profert Muratorius *tom.* VI. *Antiq. Me-*

Medii Aevi pag. 368. *edit. Mediol. an.* 1742. Rursum *an.* 752. Tacipertus Episcopus Castri Felicitatis in *Bulla Stephani Papæ apud Muratorium ibid. pag.* 387. commemoratur. Subscripsit inde Synodo Romanæ *an.* 826. *tom.* v. *Concilior. edit. Hard. Paris. pag.* 61. *Stabilis Episcopus Castelli Felicitatis*. Mitto ceteros, qui post in Monumentis Ecclesiasticis nominati sunt. Confer interea *Annales Camald. tom.* I. *pag.* 364. *seq. edit. Venetæ an.* 1755. Quamobrem si Castri Felicitatis Episcopi, iidem atque Castellanenses fuissent, vetustate tamen ab Hortensibus superarentur. Quamquam Castrum Felicitatis non Civitatem Castellanam, sed Tifernum fuisse arbitror. Nam Tifernum Civitas etiam Castelli dicitur, seculoque VII. appellabatur (ut ex Anonymo Ravennate *pag.* 223. *edit. Paris. an.* 1688. constat) *Felicissimum*, qua ex appellatione *Felicissimi* orta est *Castri* seu *Castelli felicitatis* appellatio. Clarissimi viri Mittarellius, & Gostadonius *in Annalibus Camaldulensibus t.*I. *pag.*364. *&* 365. „ In Judicio, *inquiunt*, nonnullorum Episcoporum circa supra relatam controversiam Ecclesiarum Aretinæ, & Senensis lato *an.* 1029. & ex „ tabulario S. Benedicti Aretii a Grandio edito, „ quod iterum produxit *Muratorius tom.* VI. *col.*347. „ *Antiq. med. ævi* memoratur Petrus Castri Felicitatis Episcopus, ad quem locum idem Grandius „ *pag.* 127. conjecturam suam pristinam corrigit, „ & Episcopum Castri Felicitatis eumdem habendum „ esse asserit cum Castellano, sed clarius in Animadversionibus *pag.* 269. ad calcem operis concludit: „ Episcopos hos Castri Felicitatis Castellanos esse, „ sed non ejus Ecclesiæ, quæ est unita (ut putabat)

„ cum

„ cum Falaritana, ſed Tiphernates „. In eadem ſententia verſatur Berretta vir eruditiſſimus in *Geogr. Med. Ævi* apud Murator. initio *tom.* x. *Scriptor. Rer. Italicar. pag.* CCVIII. & CCIX. Jam vero quis umquam reperitur veterum Scriptorum, qui *Civitatem Caſtellanam*, aut *Caſtrum*, aut *Feliciſſimam*, aut *Felicitatis* vocaverit. Sed dicet quiſpiam: Cencius Camerarius, qui anno 1208. Librum de *Cenſibus Eccl. Romanæ* ſcripſit, quem librum in *tom.* v. *Antiquitatum Medii Ævi* tranſtulit Muratorius *col.* 859. ſic ſtatuit: „ In Epiſcopatu „ Civitatis Caſtellanæ, ipſa civitas, quæ antiquitus „ vocabatur *Caſtrum Felicitatis &c.* „ Auctore igitur Cencio Camerario *Caſtrum Felicitatis* idem atque *Civitas Caſtellana* fuit. Verum nihil eſt quod expedire tam facile poſſim. Principio enim oſtendendum ab adverſariis eſt, verba hæc Cencio Camerario, non recentiori cuipiam ſcriptori tribui oportere. Nam adjuncta quædam libro de Cenſibus fuiſſe conſtat Innocentii IV., Alexandri IV., & Nicolai IV. temporibus. *Pag.* enim 854. ſic habetur. „ Dominus Ray- „ naldus Maximi de .... nepos Domini Alexandri „ Papæ IV. pro omnibus redditibus, & proventi- „ bus, ceteriſque juribus, & bonis, quæ a Roma- „ na Eccleſia obtinet in Caſtro de Trebis, debet unum „ obolum aureum in feſto omnium Sanctorum &c. „ & *pag.* 864. „ Johannes de Monacho familiaris D. Ægi- „ dii Cardinalis debet annuatim unum obolum impe- „ rialem pro feudo, quem tenet ab Eccleſia Roma- „ na in Caſtro Bothoniæ, & vocatur Harmania. Et „ habuit feudum ipſum tempore Domini Papæ In- „ nocentii IV. anno ejus III. „ *Pag.* 868. „ Anno Do- „ mini 1288. quarto nonas Septembris Pontificatus

„ D. Nicolai Papæ IV. Anno I. Ordo Humiliatorum „ per eumdem Dominum Papam exemptus, & factus „ est censualis in duobus libris de auro fino solvendis „ Cameræ Sedis Apostolicæ annuatim prædicto die „. Sed patiar, Cencio verba illa attribui oportere; modo hoc mihi concedatur, quod negari nullo modo potest; eum qui in Rom. Eccl. *Censibus*, rebusque suæ ætatis describendis tam fuerit accuratus, minus peritum antiquitatis esse habendum. *Milevium* enim cum *Melita* Insula turbat, ac miscet: *in Episcopatu*, scribens, *Milevitano*, *pag.* 854. At *Milevium* in Numidia Provincia situm erat, *Melitæ* autem numquam apud antiquos *Milevii* hæsit nomen. Quid? quod multa de æneo M. Aurelii Antonini equo, qui nunc in media area Capitolii visitur, narret, quæ legi sine risu non possint? Ita fit, ut Ciampinius *De sacris Ædificiis cap.* II. *pag.* 20. *seq. edit. Rom. an.* 1693. scribat: „ De hac statua disseruimus supra, fere in hujus „ capitis initio, ubi diximus etiam, Constantini „ statuam retroactis seculis appellatam fuisse. Noti- „ tiam hanc, sive potius fabellam ex *Cencii Camera-* „ *rii Ms.* desumpsimus, quæ cum sit admodum cu- „ riosa, & illius sæculi, in quo Camerarius floruit, „ simplicitatem redoleat, eam, prout auctor iste pau- „ cissimis notus enarrat, transcribere in lectoris gra- „ tiam ducimus, quæ *cap.* 37. sic habet: *Quare factus est equus, qui dicitur Constantini? Lateranis est quidam Caballus æneus, qui dicitur Constantini; sed non ita est, quia quicumque voluerit veritatem cognoscere, hoc perlegat. Tempore Consulum, & Senatorum quidam Rex potentissimus de Orientis partibus Italiam venit, & ex parte Laterani Romam obsedit, multa strage, & bello popu-*

populum Romanum afflixit. Tunc quidam armiger magnæ famæ & virtutis audax, & prudens surrexit, qui dixit Consulibus, & Senatoribus, si esset, qui liberaret vos de hac tribulatione, quid a Senatu promereretur? Qui respondentes dixerunt, quidquid ipse poposcerit, mox obtinebit: qui ait eis, date mihi triginta millia sestertia, & memoriam victoriæ mihi facietis post peractum bellum, & optimum equum; qui promiserunt se facturos quidquid ipse petierat: qui ait media nocte surgite, & omnes armamini, & state intra muros in specula, & quidquid vobis dixero facietis. Et illi continuo fecerunt imperata, qui ascendit equum sine sella, & tulit falcem: per plurimas enim noctes viderat illum regem ad pedem cujusdam arboris pro necessario venire, in cujus adventu cocobaja, quæ in arbore sedebat, semper cantabat: ille vero exivit urbem, & fecit herbam, quam in fascem religatam portabat ante se more scutiferi, qui statim, ut audivit cocobajam cantantem, accessit propius, & cognovit illum regem venisse ad arborem. Ivit ergo contra eum, qui jam peregerat necessaria. Socii, qui erant cum rege, putabant illum esse suorum, & coeperunt clamare, ut ipse auferret se de via ante regem; sed ille non dimittens propter eos, fingens se de loco abire, junxit se regi, & pro fortitudine sua illis omnibus spretis, vi arripuit regem, & portavit eum. Mox cum venisset ad muros civitatis, coepit clamare, exite foras, & interficite omnem exercitum regis, quia ecce ipsum teneo captivum; qui exeuntes alios interfecerunt, alios in fugam miserunt. Unde Romani innumerabile pondus auri, & argenti habuerunt .... Et (fecerunt) equum æneum pro memoria deauratum, & sine sella ipso desuper residente, extenta manu dextra, qua coeperat regem. In capite Equi memoriam co-

cobajæ ad cantum cujus victoriam fecerant „. Scriptori ne XIII. ſeculi, qui patrias ignoraret, perſpectas fuiſſe Caſtellanenſes antiquitates credam? Equidem Benedicto VIII. P. M. aſſentior, cujus adhuc ætate appellatio Caſtri Felicitatis in uſu erat. Is autem in ea Bulla, quam anno 1013. ad Rodericum Abbatem Monaſterii Burgenſis s. Sepulcri dedit, ſcribit id Monaſterium fuiſſe in territorio, quod vocant, Caſtri Felicitatis, in eo loco qui dicitur Nociati. Qua de re videndus omnino Leo X. in Bulla *Erect. Burg. Episc. Apud Ughell. to.* III. *p.* 195. *edit. Venet. an.* 1718. jam Burgenſe s. Sepulcri Monaſterium, oppidumque ipſum s. Sepulcri VIII. circ. p. m. Tiferno diſtat. Rurſum idem ipſe Benedictus *ibid. to.* I. *Annal. Camald. in App. n.* XCII. *p.* 212. *ſeq.* inter loca, quæ poſita *infra Caſtrum Felicitatis*, eſſe dixit, quæque dono Monaſterio eidem dedit, *Nobule* nominat, qui locus etiamnum *Novole* appellatur, ac mille circiter paſſ. Tiferno abeſt. Quid ſi ex diplomatibus Pontificum, & Imperatorum liqueat, non multa paſſuum millia Caſtrum Felicitatis Arretio, atque Cortona abfuiſſe? Tifernum autem Cortona XVIII. mill. paſſ. ex parte una, atque ex alia XVIII. item m. p. Arretio diſtat, ut merito dictum ab Eruditiſſimo Berretta Monacho Caſinenſi fuerit, ſitum fuiſſe Caſtrum Felicitatis inter Arretium, & Cortonam. *Tom.* X. *Scriptor. rerum Italicar. Murator. p.* CCVIII. *ſeqq.* Ita fit, ut Caſtrum Felicitatis in veteribus diplomatibus cum Arretio, Cortona, Cluſio, quæ urbs XX. circ. millia paſs. Cortona diſtat, una nominetur. Confer locum Hadriani Papæ I. quem paullo ante deſcripſi. In Privilegio quoque Lotharii Imperatoris anno 843. Capitulo Canonicorum Arretinorum

rum conceditur *Villa* quædam, *quæ vocatur Caminina, & consistit in Castro Felicitatis, cum Ecclesia, quæ constructa est in honore B. Andreæ Apostoli*. Apud *Murat. tom.* v. *Anquit. med. ævi col.* 195. *Ejusd. edit.* Ex verbis autem Lotharii dignoscitur, *in Castro Felicitatis* aliquid esse dicere, idem tunc aliquando fuisse, atque *esse* in *territorio Castri Felicitatis* affirmare. Alioqui *Villam in Castro Felicitatis esse* numquam Lotharius scripsisset. Præterea Berengarius Imperator *an.* 916. *confirmavit* Ecclesiæ Arretinæ *omnia, & in omnibus in singulis comitatibus posita, id est in Arretino, Senense, Florentino, atque in Clusiano, & Castro Felicitatis. Murat. tom.* v. *antiq. med. ævi pag.* 271. Atque ex iis quidem omnibus, quæ disputata hactenus sunt, planè liquet, injuria Castellanenses, contra vetera monumenta, & contra jus fasque omne Hortanis antiquitatis decus deripere conari.

FINIS

ADDENDA, ET EMENDANDA.

Pag.67. lin.21. *Ind.* adde IV. lin.28. *Fenzo* corrige *Teuzo*. P.68. lin.16. *an.*1033. adde *post sextilem mensem, ut inchoandæ Constantinopolitanæ, Imperialisque indictionis ratio postulat, vel an.*1034. *aut* 1035.

NOS F. JOHANNES THOMAS DE BOXADORS

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR

Ac totius Ordinis Prædicatorum Humilis Magister Generalis, & Servus.

HArum serie, nostrique auctoritate officii facultatem, quantum in nobis est, concedimus tibi Ad. R. P. M. Fratri Thomæ Mariæ Mamachio Provinciæ nostræ Romanæ Theologo Casanatensi, ut possis typis mandare librum, cui titulus: *De Episcopatus Hortani Antiquitate*, de mandato nostro revisum, & approbatum a duobus Ordinis nostri Theologis, servatis de jure servandis. In nom. Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Conventu s. Mariæ super Minervam die 10. Januarii 1759.

F. JOH. THOMAS DE BOXADORS
Magister Ordinis.

Regist. fol. 12.

F. Thomas Ignatius Natta Sac. Th. Mag. Provinc. Scotiæ, & Socius.

AP-

APPROBATIONES

JUſſu Reverendiſſimi P. F. Johannis Thomæ de Boxadors Magiſtri Generalis totius Ord. Præd. legimus opuſculum, cujus hæc eſt inſcriptio. *F. Thomæ Mariæ Mamachii Ord. Præd. De Epiſcopatus Hortani Antiquit. liber ſingularis &c.* illudque (cum nihil, quod ab Orthodoxa Religione, boniſque moribus ſit alienum, contineat) probavimus, atque in lucem edi poſſe cenſuimus. Dat. Romæ in Cœnob. s. Mariæ ſuper Minervam VI. Id. Januar. 1759.

F. J. B. Audiffredi Bibliothecarius Caſanat.
F. Dominicus Vincentius M. Bertucci S.T.M.

JUſſu Reverendiſſimi P. Joſephi Auguſtini Orſii S. P. A. Magiſtri legi librum inſcriptum: *F. Thomæ Mariæ Mamachii Ord. Præd. de Epiſcopatus Hortani Antiquitate liber ſingularis*, in eoque nihil deprehendi. quod ab Orthodoxæ Religionis decretis, morumque rectis regulis diſcrepet. Immo vero tam accurate, vereque de Epiſcopatus ejuſdem Hortani vetuſtate in eo agitur, ut nihil ſupra deſiderari poſſit. Dabam in domo Oratorii s. Hieronymi Charitatis die 8. Jan. an. 1759.

Joſephus Catalanus ejuſdem Oratorii Presb.

HOrtanis Antiquitatibus a Cl. ſummoque viro Juſto Fontanino Archiepiſcopo Ancyrano egregiè illuſtratis non levis accedit Mantiſſa ſtudio & labore V. Cl. Thomæ M. Mamachii, qui librum ſingularem *De Hortani Epiſcopatus Antiquitate* omnibus plane numeris abſolutum confecit. Hunc itaque cum juſſu, mandatove Reverendiſſimi S. P. A. Magiſtri attente legerim, nihil in eo me reperiſſe profiteor, quod non & ſacris Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus, & ſeveriori morum diſciplinæ apprime conveniat. Quinimmo ipſum utiliſſimum fore cenſeo ad coercendam Scriptorum quorumdam licentiam, qui inanibus vulgi rumoribus, atque anilibus fabulis permoti Hortani Epiſcopatus Antiquitatem luce meridiana clariorem in dubium revocare auſi ſunt. Ita ſentio. Romæ nonis Januarii A. D. CIↃIↃCCLVIIII.

Conſtantinus Ruggerius Biblioth. Imperiali Præf.

IMPRIMATVR

Si videbitur Rm̃o P. M. S. Palatii Apoſtolici.

F.M. de Rubeis Pat. Conſt. Vic.

IMPRIMATVR

Fr. Vincentius Elena O. P. Rm̃o P. Mag. Sacr. Pal. Apoſt. Soc.

F. THOMÆ MARIÆ MAMACHII
ORD. PRÆDICATORUM
ADVERSUS AUCTOREM LIBELLI ITALICE SCRIPTI
De Cathedra Hortana Civitonicæ non præferenda
ΑΝΤΙΡΡΗΣΙΣ

QUEM pro Civitonica [1] ſeu Caſtellanenſi Cathedra ſcriptum jamdiu intellexeram, eum ego libellum nunc demum ad me miſſum legi. Animadverti autem laudari primum in paragrapho priore ab eruditiſſimo Auctore me; inde moneri, ne quid adferam, quod minus ad rem, cauſſamque pertinere videatur. Atque ob laudes quidem habeo gratiam. Nam etſi non merito meo, facit tamen, ut ſolet, amice. Quod monet, curatum jam eſt. Itaque non dubito, quin ſit deinceps facturus monendi finem. Illud etiam ſpero me eſſe ex illius humanitate, facilitateque impetraturum, ut ne queratur, quod antequam

 ſuum

1 *Civitonici* etiam appellantur in Cornetana Eccl. S. M. ſeculi XIII. inſcriptione.

ſuum publicaſſet, non viderit meum *de Epiſcopatus Hortani Vetuſtate* librum. Nam ſi cujus id umquam, factum certe eſt culpa Civitonicorum. Hortani quippe cum majorem in modum a Caſtellanenſibus Civitonicis petiiſſent, ut libelli, quem a Cl. viro multo ante, quam ego animum ad ſcribendum appuliſſem, perfectum audierant, copiam ipſis facere ne gravarentur, idque ſibi perpetuo negatum vidiſſent, par pari referendum exiſtimarunt. Sed hæc ad inſtitutum non pertinent. Itaque omittantur. Ad rem enim venire malo.

§. I.

I. *Cauſſæ, ob quas defenſor Civitonicorum Cathedram unam alteri præferri oportere putat.* II. *Hortanis, non Civitonicis præſidio ſunt.*

I. Priore igitur numero rationes eſſe contendit omnino duas, quibus effici queat, Cathedram unam Epiſcopalem eſſe alteri vetuſtatis cauſſa præferendam: 1. antiquiorem inſtitutionem, quæ certis monumentis demonſtrata ſit; 2. indicationem, ſeriemve Epiſcoporum, qui ætate alterius Cathedræ Epiſcopos anteceſſerint. Priore niti Hortanos non poſſe defendit; altera contra niti Civitonicos jure poſſe. Ego neutram Civitonicis; utramque autem Hortanis præſidio eſſe oſtendi *ſingulari de Hortani Epiſcopatus Antiquitate libro*, atque idipſum confido, eſſe me, refutatione argumentorum Clariſſimi viri, magis magiſque confirmaturum.

II. Age ergo conſideremus, quibus tandem modis ſecundo numero Cathedram Epiſcopalem Hortanam

nam antiquiorem Civitonica demonſtrari non poſſe pugnet. Principio, neminem, ait, tam eſſe ignarum Hiſtoriæ *inferioris ætatis* (*de baſſi tempi*) qui ſibi perſuadeat, Cathedram Caſtellanenſem, ſeu Civitonicam tum primum fuiſſe conſtitutam, cum poſt varias infortuniorum, bellorumque vices urbs illa reſtituta, & Civitas Caſtellana appellata eſt. Multo eam Cathedram antiquiorem eſſe. Nam plures eſſe Civitates vel in iis locis, in quibus initio conditæ fuerant, ſitas; vel alio tranſlatas conſtare, quarum ſint immutata nomina.

Jam ut hæc ſibi tam fidenter Civitonicorum Defenſor ſumat, non video. Atque ut ab *inferiore illa ætate*, quam *de' baſſi tempi* appellat, exordiar, quæro, cujuſmodi ea ſit? Nam ſi verbis italicis *de' baſſi tempi* ſpatium poſtremorum horum duorum ſeculorum intelligit, quo fabulis delectari Civitonici, aliique nonnulli cœperunt; etſi ægre quidem, at dari id tamen ei, permittique poteſt. Sin iiſdem verbis, ut videtur ſtatuere, hiſtoriam jam uſque a quinto, ſextove ſcribi cœptam, atque ad undecimum ſeculum ductam indicat, quibus demum artibus vincet, quod pag. 6. nihil hæſitans ſcribit: *neminem tam eſſe ignarum inferioris ætatis hiſtoriarum, qui tum fuiſſe Cathedram Civitonicam conſtitutam putet, cum ea urbs reſtituta, ac Civitas Caſtellana appellata eſt*? Ecquod enim eſt monumentum *inforioris illius ætatis*? Ecquæ hiſtoria, ex qua aſſequi vel conjectura quiſquam poſſit, *ſedem Caſtellanemſem* fuiſſe ante *conſtitutam*, quam id oppidum appellari *Caſtellana Civitas* cœpiſſet? Nullum hujuſce rei in Conciliis veſtigium extat, nullum in Pauli Diaconi, nullum in Anaſtaſii, nullum denique in alte-

rius cujuſquam, non dicam VI. aut VII. aut VIII. aut IX. aut X. ſed ne decimi quidem ac quinti ſeculi Scriptoris libris. Nam ſi eſſet, prætermiſſum profecto a Defenſore hoc tam erudito Caſtellanenſium non fuiſſet. Et is tamen Defenſor, cum nihil habeat ejus ætatis monumentorum, confidenter pronunciat: *neminem eſſe tam ignarum inferioris ætatis hiſtoriarum &c.*

Deinde quid illud eſt, quod adjungit, fuiſſe ante in *urbe illa Epiſcopalem Cathedram quam urbs eadem reſtituta eſſet*? Non ha *la ſede di Città Caſtellana avuto la ſua origine ſoltanto allora, quando dopo molte vicende riſtabilitaſi queſta Città, fu chiamata col nome di Città Caſtellana*. An Cathedra ibi erat Epiſcopalis, cum ibi Civitas nulla eſſet? Nam ſi urbs erat, cur ibi fuiſſe Cathedram, dixit, antequam reſtituta (*riſtabilita*) urbs eſſet? At fuerat, inquiet, urbs olim, Epiſcopumque proinde habuerat: everſa porro bellorum cauſſa, poſtque aliquot ſecula reſtituta fuit. Quot hic res defenſor aſſumit nullo modo probabiles! 1. *Fuiſſe* eam defendit: 2. *Olim*. 3. Tunc, *olim* nempe, Epiſcopum habuiſſe. *Fuiſſe* namque quis credat, cum nulla ſint apud Caſtellanenſes rudera, veſtigiaque antiquæ urbis; nulla monumenta, Scriptores denique veteres omnino nulli, qui ea de re quidquam poſterorum memoriæ commendarint? Jam vox *olim*, quibus temporum terminis definietur? Holſtenius ecce, quem hic Patronus Civitonicorum paulo poſt teſtem appellat, ad ea tempora everſionem Falerii veteris refert, quæ [1] præceſſerunt

1 *In Geogr. Ant. Cluverii p.57.* quo loco ſic habet: „ *Deſtructa Veteri Civitate remanſit ibidem templum Junonis Faliſcæ cum luco, quod Ovidii locus pag. ſeq. comprobare videtur*. Quamquam ex eo loco Ovidii tam id elici poſſit, quam aqua ex pumice. Eſt enim hujuſmodi: *lib.* III. *Faſtor. Quod ſi forte vacas, peregrinos inſpice faſtos. Menſis in his etiam nomine Martis erit. Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliſcis*.

runt ætatem Ovidii, qua de re ſane poſt videro. Quid? an ante Ovidii ætatem Epiſcopos Caſtellanenſibus fuiſſe Defenſor dicet? qua quidem ætate Chriſtianorum ne nomen quidem audiri cœperat.

Quod addit Defenſor de Civitatibus, quarum ſunt, temporum progreſſione, mutata nomina, non eſt ſimile. Earum enim veteribus nititur monumentis antiquitas; contra Caſtellanæ, quam ille jactat, vetuſtas monumento nititur omnino nullo. Quod ſi iis monumentis eæ quoque urbes carerent, perinde a nobis earum antiquitas negaretur, atque modo negatur Caſtellanæ.

Verum habere ſe documenta in promtu Defenſor Civitonicum ſcribit, quibus efficere poſſit, urbem eo fuiſſe olim in loco ſitam, ubi poſt condita Civitas Caſtellana fuit. At eam urbem neque Vejos fuiſſe, neque Feſcenniam appellatam. Jam hoc noveram. Sed miror Civitonicos, qui Caſtrum Felicitatis primum [1], deinde Feſcenniam, mox (ea opinione rejecta) Vejos eo ipſo in loco fuiſſe, ubi demum extructa Civitas Caſtellana fuit, acriter, pugnaciterque defenderint, idque lapidibus inſculpſerint, tradique memoriæ hominum ſempiternæ curaverint, ſubito nunc mutata voluntate, Faleriorum ſe modo locum occupare dicere, Faliſcorumque eſſe abnepotes malle. Grave Mazzocchio, Paradiſioque eſſet, ſi viverent, cernere cives ſuos, quos illi [2] tot laboribus ſuſceptis, totque libris adver-

1 Sic enim eſt in *lib. de Cenſibus S. R. E. Cencii Camerarii*. Vide *lib. noſtrum de Antiq. Epiſc. Hort. pag.*73. Id vero acceptum arbitror ex rumore vulgi Caſtellanenſium ejus ætatis.

2 Dominicus Mazzochius in eo *libro*, quam inſcripſit *Vejo Difeſo*, Editque *Romæ an.*1646. & in altero inſcripto: *Supplimento a Civita Caſtellana. Edit. Rom. ann.* 1663. Idem fuiſſe a Paradiſio factum conſtat. Ab his autem nondiſcrepat Joſephus Caſtalio *in Syntagm. adverſus eos, qui Civitatem Caſtellanam Vejos eſſe negant. Edit. Rom. an.*1663.

adversus Volaterranum, Blondum, Leandrum Albertum, Massam, Cursium, Nardinium, aliosque scriptis, invito Dionysio Halicarnassensi, Vejentes fecerant; mirabili certe *methæmatosi*, ut ita loquar, factos esse, defensoris opera, repente Faliscos; facturos etiam se Getas, Serasve, si lubet, modo ne principatum Cathedræ Hortanis cedere videantur. Sed quam vereor, ne hac tanta Patronorum, Defensorumque suorum in indicandis nominibus antiquæ, quam jactant, urbis, volubilitate, & inconstantia, tueri deinceps illam ipsam urbem Castellanenses non possint! Nam sententiarum tam discrepantium alterum profecto fieri posse perspicio, ut nulla, alterum sane non posse, ut plus una vera sit. Equidem interea quod mihi ultro Defensor *de Fescennia, Veiisque* dedit, accipio. Descendo ad Faliscos, quorum urbs *Falerii*, seu *Falerium* dicebatur.

Hoc verum est, inquit Defensor, *hodiernam Civitatem Castellanam vetus esse Falerium, seu Falarim, Ecclesiamque Civitonicam ipsam esse Ecclesiam Falaritanam*. Atqui id ego totum, quod ille verum esse clamat, ajo esse falsissimum, quod & demonstratum a me est *cap.* V. *libri De Episcopatus Hortani Antiquitate*, & demonstrabitur deinceps etiam, atque etiam confutatione illius argumenti, quo idem defensor *firmo* se, *clarissimoque* niti affirmat. Age ergo quid dicat, consideremus. *Hujus rei*, inquit, *firmum, clarissimumque argumentum est, juxta atque artis criticæ regulæ postulant, unanimis Scriptorum consensio*. Quos nobis Scriptores narrat? Novos, opinor. Nam veteres nullos commemorat. Verum quis hominem docuit, artem id criticam poscere, ut magni argumenti habeatur

loco

loco novorum Scriptorum, qui veteres non ſequantur, de re tam antiqua conſenſio? Annon ars ipſa critica præſcribit, ut falſum, dubiumve ſit, quod novi Scriptores de rebus antiquis ſtatuunt, ſi careant veteribus monumentis, quibus oſtendant, ſuo id ſe arbitratu non ſtatuiſſe? Sed erit, qui ſcire aveat, quos demum Scriptores numeret? Holſtenium ecce, Berrettam Diſſertationis Geographicæ Auctorem, qui accepit ab Holſtenio; Harduinum, qui tamen non de Faleriis Faliſcorum urbe, ſed de commenticia neſcio qua Faliſca loquitur; Papebrochium ab Harduino non diſſidentem; Fontaninium denique, Holſtenii, ut laudatorem, ita hac in re religioſiſſimum ſectatorem. Atqui horum teſtimonia indicare, quorum eſt nemo ſeculo ſuperiore antiquior, perinde eſt, atque fruſtra laborem, otiumque bonum conterere. Non enim quid hi ſcripſerint, curo; ſed quid freti veterum auctoritate ſcripſerint. Antiquis autem teſtibus, qui nihil tale uſquam tradiderunt, ſeſe illi tueri qui potuiſſent? Verumtamen fac aliquid hoc in genere valeat novorum auctorum conſenſio. Quid? an his quinque numeratis, quibus inter ſe certe non convenit, demonſtratam ab ſe, putat, eſſe unanimem Scriptorum conſenſionem? Ac ne fando quidem eſt auditum, univerſitatem Scriptorum iis quinque Scriptoribus eſſe conſtitutam, ut quod ii concedunt, id omnibus probari decernendum ſit. Mozzocchius enim, Caſtalio, Paradiſius, quorum eſt paulo ante facta mentio, non Falerios olim, ſed Vejos Civitatis Caſtellanæ locum occupaſſe pugnant. Non ergo tanta eſt illa, quam Defenſor clariſſimum eſſe ſuæ opinionis argumentum cenſet, recentium Scriptorum conſenſio.

Et

Nihilo ſecius Patronus hic Civitonicorum, ubi eos quinque Scriptores (quamquam ſi plures eſſent, me tamen haud conturbarent) & novos , & a veterum ſententia , ut poſt oſtendam , diſſidentes commemoravit; fidenter concludit hoc modo : *Eſt igitur Falerium hodierna Civitas Caſtellana* . Ludimur a Viro Clariſſimo . Serio enim eum agere , qui cum ad artem criticam provocet , tam graviter contra criticam artem peccet , quis credat ?

Redarguit mox Nardinium, ac ſi male fuerit ſententiam Zonaræ interpretatus , ſtatueritque Falerium vetus fuiſſe a T. Manlio Torquato everſum . Verum evincat , ſi poteſt Defenſor Caſtellanenſium . 1. Vera tradi ab Zonara . Nam eſt mihi illius XII. ſeculi Scriptoris vehementer ſuſpecta fides [1] . 2. Aliorſum fuiſſe accepta ab Nardinio Zonaræ verba , atque Zonaras ipſe acceperit . Zonaras [2] enim principio *urbem munitam , atque in monte* ſitam fuiſſe *Falerios* , poſt autem everſam , ejuſque loco oppidum fuiſſe a civibus extructum , idque facile expugnatu tradidit ; quo autem

1 Vide quæ ſcripſi *lib. De Epiſc. Hortani Antiquit. cap.*V. *pag.*48. *ſeq.*

2 Zonaras *lib.* VIII. *Annal. cap.* XVIII. *pag.* 399. *Manlius Torquatus* (Faliſcos) *domuit : armis , equis , ſupellectilibus , ſervitiis , agri ſemiſſe mulctavit* : Ὕστερον δὲ ἡ μὲν ἀρχαία πόλις εἰς ὄρος ἐρυμνὸν ἱδρυμένη , κατεσκάφη. ἑτέρα δ' ᾠκοδομήθη εὐέφοδος . „ Poſtremo autem vetus urbs (*quam lib.*VII. *cap.*XXII. *pag.* 354. *Falerios appellat*) „ in monte munito ſita , everſa eſt ; *altera vero* „ *condita* oppugnatu facilis „ . Nihil , ut vides , Zonaras de *planitie* , in qua poſterior urbs fuerit extructa , ſcribit . Itaque ex ejus verbis colligendum non eſt , in *planitie* , non vero in eodem loco , in quo ante ſita fuerat , reſtitutum fuiſſe Falerium . Deinde cum Zonaras, ubi de T.Manlio Torquato agit , vices Faliſcorum , Faleriique everſionem , reſtitutionemque novi Falerii . memoret , annon veri eſt ſimilior Nardinii interpretatio , qui eam everſionem ad ejuſdem Manlii ætatem refert, quam Defenſoris, qui ad æra .m Teodoſii ? Nam vox ὕστερον qua eſt uſus Zonaras , non efficit , recens eam everſionem contigiſſe , ſed *poſt domitos* Faliſcos , poſt *mulctatos* armis , agrique ſemiſſe a Manlio , *deinde* fuiſſe eorum urbem everſam ; ut multis ejus vocis exemplis demonſtrare licet , ſi Defenſor volet . Sed Zonaram omittamus ignarum locorum Italiæ .

tem tempore eversa, urbs illa, novaque inde condita fuerit, nuspiam tradidit, Quod si male interpretatus sententiam Zonaræ Nardinius est, propterea quod definierit tempus non definitum a Zonara; eodem in vitio sit ipse Patronus Civitonicorum, necesse est, ut qui eversionem urbis ejusdem ad Theodosii Junioris ætatem, nihil tale Zonara definiente, retulerit. *Credendum est potius*, inquit, *cum urbs Falerii ad Theodosii usque ætatem substiterit, eo tempore eam fuisse destructam, quo Alaricus Romam obsessurus venit, tumque conditam fuisse novam Falarim*. Ego ne tam multa, nullius veteris testis fide permotus, credam? Equidem veterem urbem Falerios, quam esse defendo Falarim, ad XI. usque seculum constitisse, neque ante id tempus fuisse eversam, fretus veterum [1] auctoritate, ajo. Eversam quidem narrat fuisse unus Zonaras seculi XII. quod supra animadverti, Scriptor; sed, ut dixi, quo tempore eversa fuerit, nusquam narrat. Ex Zonaræ igitur (quem tamen ego lapsum errore fuisse arbitror) ex Zonaræ, inquam, loco, qui demum efficiet defensor Castellanensium viguisse Falerios ad ætatem Theodosii? Si autem alius quispiam auctor, non vetus dicam, sed synchronus Zonaræ, id usquam scripsit, cur ejus non locum modo Defensor, verum etiam nomen prætermisit? An sibi tantum tribuit auctoritatis, ut quæ, sine teste, affirmat, sibi ipsi concedi putet oportere? Quod si se Pythagoræ parem existimat esse, hoc sibi persuadeat vehementer velim, Pythagoreos, qui ajenti sine ratione assentiantur, nullos ipsum esse hoc præsertim tempore reperturum.

Ejusdem sunt generis, quæ mox adjungit. *Faliscos*,

1 *Vide cap.* V. *lib. De Episcop. Hortani Antiquit. p.*48. & 59. & *cap.* VI. *p.*67.

liſcos , inquit , *e nova urbe Falari* (jam *nova* hæc *urbs* commenticia eſt) *quam in planitie condiderant* (quis hoc dixit de *planitie* ? Ne Zonaras quidem . Confer ejus , quem paullo ante deſcripſi , locum) *ad veterem* (ne id quidem Zonaras , aut alius quiſquam ejus ætatis Scriptor dixit) *hoc eſt ad Civitatem Caſtellanam poſt aliquot ſecula migraſſe* , *ut ad tutiorem locum* (ubinam hujus reditus Zonaras , aut Scriptor ullus *de' baſſi tempi* meminit ? At meminiſſet Zonaras , ſi verus is reditus fuiſſet , cum ejus hiſtorici ætate Civitas Caſtellana & eſſet , & vocaretur hoc nomine) *ac nono circiter ſeculo veterem eamdem urbem Caſtellanam Civitatem fuiſſe appellatam* . Somnium id quoque . Nemo enim eſt IX. aut X. ſeculi Scriptorum , qui IX. circiter ſeculo aut conditam affirmarit Civitatem Caſtellanam , aut novo nomine appellatam . Seculo ſummum X. in monumentis Eccleſiaſticis fit Caſtellanæ Civitatis commemoratio . Sed non inde ſequitur non ſubſtitiſſe eodem tempore Falarim . Nam eſt in illuſtri monumento Farfenſi , quod *cap.*VI. *lib. de Epiſcopatus Hortani Antiquitate pag.*67. deſcripſi , Falaritanos XI. ſeculo urbem, judicemque habuiſſe, *Civitati autem Caſtellana* præfuiſſe Comitem . At Holſtenius , inquit . Quid ego Holſtenium morer Scriptorem & recentem , & nihil hoc in genere auctoritate veterum confirmantem .

§. II.

III. *Neque Strabonis, neque alterius cujuſquam veteris Scriptoris auctoritate effici poteſt* Falerios *urbem eo in loco fuiſſe, ubi nunc eſt Civitas Caſtellana*. IV. *Epiſcopi in commenticio Falerio vetere, hoc eſt in Civitate Caſtellana nulli ante ſec.* XI. *fuerunt. Falaris Epiſcopum ante Johannem fuiſſe ullum non conſtat*.

III. Pergit porro defenſor, atque in *tertio numero* ſic ſtatuit: *Ut verum dicamus, illam ipſam urbem etiam num Falarim appellatam, ortamque ex ruinis veteris Falerii non eſſe ipſum Falerium vetus, quod nunc Civitas eſt Caſtellana, tam claris argumentis evincitur, ut revocari in dubium non poſſit*. Falſa omnia. Falſum 1. eſt claris argumentis, indiciiſve oſtendi poſſe, *Falarim ortam ex ruinis veteris Falerii*. Quo enim modo oſtendi id poteſt, veteribus quibuſque hiſtoricis, Geographiſque tacentibus; immo vero, *ut capite* v. *libri de Epiſcopatus Hortani Antiquitate* indicavi, repugnantibus? Falſum item 2. *Falerium vetus eodem in loco fuiſſe* cu-*conſtare, in quo nunc Caſtellana eſt Civitas* [1]. Verum jusmodi ſint illa argumenta tam clara, tamque perſpicua, conſideremus. *Conſulamus*, inquit, *antiquos Scriptores, qui nobis vetus Falerium deſcribunt; iique nos manu ad Civitatem Caſtellanam ducent*. Iſthuc volebam. Sed quam metuo, ne alio nos, Defenſore Ci-

 vito-

1 Vide quæ ſcripſi *pag.* 52. *cap.* v. *lib. De Epiſcop. Hortani Antiquitate*. Nam locus Zonaræ, quo uno nititur Defenſor, in monte ſitum Falerium indicat. At Civitas Caſtellana habita ratione Falaris non eſt in monte ſita, ſed in eadem fere *altitudine*. Contra fabrica oppidum in edito eſt loco. Verum, ut dixi, quod Zonaras ſeculi XII. Scriptor ignoratione locorum ſcripſit, argumentum eſſe non poteſt vetuſtatis Caſtellanenſium.

vitonicorum invito, ducant. Faciam equidem periculum. Quem veterum jubet consuli? Strabonem arbitror. Optime. *Strabo*, inquit, *nobis est auctor Falerium vetus fuisse prope Flaminiam viam inter Ocricolum, & Romam. Æquum Faliscum ad viam Flaminiam situm inter Ocricolos, & Romam*. Quam multa vitiosa. 1. A Strabone Æquum Faliscum nominari Defensor fidenter scribit. At Strabonis Codices οἰακῦ συμβαλίσκον [1] *Oeacu Symbaliscon* habent; quæ verba cujusmodi sint, quidque significent, intelligi profecto non potest. 2. *Æquum Faliscum* fuisse urbem quampiam, ait, quod nemo usquam tradidit aut Geographorum, aut Historicorum [2]. 3. *Æquum Faliscum* cum *Falisca*, seu *Falisco* confundit, cum tamen nihil tale faciat Strabo. 4. *Faliscum Æquum*, & *Faliscam*, & *Falerios* miscet, ac turbat, contra atque Strabo statuerit. *Falerium* enim a *Falisco* distinguit antiquus ille Geographus *lib.* v. *p.* 345. quo loco varia Etruriæ oppidula describit: *Post has autem*, inquit, *oppidula crebra Bleratos, & Ferentinum*, καὶ φαλέριον, καὶ φαλίσκον *& Falerium, & Faliscum*. 4. *Faliscum*, & Falerium fuisse ad viam Flaminiam, quod certe Strabo nusquam dixit. Etenim οἰακῦ συμβαλίσκον *Oeacu Symbaliscon*, tradit is Geographus (aliorum opinione) [3] ἐπὶ τῇ ὁδῷ φλαμινίᾳ in *Flaminia via*, ut Cluverius novusque Strabonis interpres vertit, fuisse; *Faliscum* autem, aut *Falerium* in Flaminia fuisse via, non tradit. Quamquam ne Civitas quidem Castellana in Flaminia sita est. Distat enim ab ea

1 Vide *lib. de Episcopat. Hortan. Antiq. cap.* v. *pag.* 53. *seq.*

2 Confer quæ scripsi *ibid. pag.* 53. *seq.*

3 Οἱ δὲ λέγουσι ἐπὶ τῇ φλαμινίᾳ ὁδῷ &c. *Alii dicunt in Flaminia via*. Aliorum ergo sententia loquitur Strabo, non sua. Quod autem ille aliis tribuit, qua confidentia Straboni esse tribuendum Defensor affirmat?

ab ea via, fatente Holſtenio [1], millia paſſuum fere duo. Ac mirari ſatis non queo rationem Holſtenii, qui ubi inanibus conjecturis perſuaſit ſibi, in eo loco, in quo modo eſt Civitas Caſtellana ſita, vetus fuiſſe Falerium, ut componere verba illa Strabonis ἐπὶ τῇ φλαμινίᾳ ὁδῷ *in Flaminia via* cum ſua ſententia poſſet, nimis religioſum in iiſdem verbis vertendis Cluverium cenſuit fuiſſe, ac pro in *Flaminia* ſcribendum *ad Flaminiam viam* judicavit, in qua fuiſſet Falerium; cum de Falerio Strabo non egerit. Atqui hoc ſane contorquere eſt veterum Scriptorum loca. 6. Strabone auctore, *Æquum Faliſcum in via Flaminia* ſitum, pugnat, fuiſſe; etſi Strabo aliorum ſententia de *Oeaco Symbaliſco in via Flaminia conſtituto* fuerit loquutus, non ſua, ut animadverti *Adnotatione ſuperiore*. 7. Etiamſi Strabo *Æquum Faliſcum* dixiſſet eſſe *in via Flaminia*, vel *ad viam Flaminiam*, ipſumque *Æquum Faliſcum* urbem fuiſſe *Faliſcam*, non tamen ſequeretur *Falerium* fuiſſe ſitum *in Flaminia via*, vel *ad Flaminiam viam*. Strabo namque, ut vidimus, atque Solinus [2], aliique, præter Falerium, aliud oppidum commemorant Faliſcorum, cui eſſet *Faliſca*, vel *Faliſcum* nomen. Quare ſi detur, auctore Strabone, *Faliſcum*, ſeu *Faliſcam* in Flaminia fuiſſe ſitam, non idem tamen eſt de Falerio, quaſi dictum a Strabone fuerit, concedendum. Atque hic commodum reprehendendus Harduinus eſt, qui *Faliſcam* eamdem atque *Caſtellanam Civitatem* putat

1 *Holſten. in Adnot. in Italiam Antiquam Cluverii pag.*58. „ Sane, *inquit*, „ neque Civitas Caſtellana in ipſo veteri ductu viæ Flaminiæ ſita eſt, ſed im- „ minet eidem ex edito colle ad duo millia paſs. circiter, plane eodem modo, „ quo oppidum Galleſe. Itaque hoc argumentum ex nimis religioſa Strabo- „ nis interpretatione petitum haud magni momenti eſt „.

2 Solinus *in Polyhiſtore cap.*II. *p.* 13. *edit. Pariſ. Salmaſii an.*1629. „ Ab Ha- „ leſo Argivo Phaliſcam, a Phalerio Argivo Phalerios „ conditos ſcribit.

tat esse, Frontinumque, ac Plinium, quasi quidquam dixerint, ex quo id esset consequens, auctores nominat. Frontinus enim *De Coloniis pag.* 353. *edit. Amstelod. an.* 1661. *Coloniam Iunoniam* memorat. *Faliscam* non memorat, ut ne Falerium quidem. Agrum porro Faliscorum a Plinio aliquando nominatum video, Faliscam autem, non item.

Redeo ad Strabonem. Etsi tot res, novæque sententiæ Civitonicorum tam repugnantes ejus Geographi testimonio contineantur, deterrere tamen Patronum eorum non potuerunt, quin statim adderet: *Quis est, qui nesciat, talem esse omnino Civitatem Castellanam, non vero Falarim, quæ est in Amerina vita*? Verum quid est, nisi hoc pervertere veterum sententias est? Ubinam enim Strabo Falerium fuisse in Flaminia via dixit, ut id tam fidenter Defensor ex Strabone contra Falaritanos concluderet? Rursum fac, de Falerio Strabo loquutus fuerit. Quid impediebat, quo minus Falerium oppidum, quod in via Amerina erat, & millia passum fere 3. a Flaminia distabat via, situm ad *viam Flaminiam* dici potuerit? Annon Horta propinqua est Amerinæ viæ, distatque a Flaminia aliquot millia passuum? At Anastasius Bibliothecarius Xenodochium a Belisario extructum in Flaminia via juxta Civitatem Hortas [1] testatur. Erat Flaminia notior Amerina via: itaque ut locum Falerii indicaret Strabo, poterat illud ad *Flaminiam viam* constitutum dicere, ut etiam adversariorum opinione, ad *Flaminiam viam* sitam Faliscam, hoc est *Civitatem Castellanum* dixit, quæ a Flaminia duo circiter millia passuum abest.

Provocat mox defensor ad Peutingerianam tabulam.

1 Vide *lib. de Episc. Hortani Antiq. cap.* 1. *pag.* 8.

lam. At quo demum ore? *Tabula*, inquit, *Peutingeriana ducens Roma Falerium non per Flaminiam viam, sed per Vejos, ac Nepe, numerat* XXXV. *mill. paſſ. Ad Pontem Milvii* (Hadriani debuerat ſcribere. Quam metuo ne tabulam non viderit) *Ad ſextum, Vejos* VI. ... IX. (at ſi tabulam poſtremæ editionis vidiſſet, pro punctis potuiſſet *Vacanas*) *Nepe* IX. *Falerios* V. *tantumque ſpatii reperiet, quiſquis percurrere eam velit viam*. Hæc ille. Quid igitur? Falerios urbs, cujus in tabula Peutingeriana fit mentio eadem, atque Civitas Caſtellana fuit? Id quidem Defenſoris oratio poſtulat. Sed tabula ibidem deſcribit *Amerinam viam*. Nam quæ via ab urbe Nepe Falerios, Faleriis ad Amerinum Caſtrum, a Caſtro Amerino Ameriam ducit, ea Holſtenio, ipſo teſte, ceteris probantibus, Amerina eſt. Hanc autem deſcribit Tabula, ut ex pag. 66. noſtri *de Epiſcopatus Hortani Antiquitate Libri*, plane liquet. In via porro Amerina erat Falaris, non Civitas Caſtellana id quod veritas extorſit, ut Civitonicorum Patronus confiteretur. *Quella* (ſic enim habet in eodem ipſo quem impugnamus *tertio numero pag.* 8.) *Quella, che oggi diceſi Falari era nella ſtrada Amerina, come aſſeriſce Olſtenio*. Confer quæ ſcripſi *cap.* V. *lib. de Epiſcopatus Hortani Antiquitate pag.* 51. *ſeq.* Si ergo Amerina via in eo ſegmento tabulæ Peutingerianæ deſcribitur, & in Amerina via fuit Falaris, non Civitas Caſtellana, qua confidentia ex eodem ſegmento tabulæ exculpere Defenſor potuit, *Civitatis Caſtellanæ* ibidem eſſe indicatum locum? Quod ſi ob notata in tabula V. mill. paſs. ab urbe Nepete ad Civitatem Caſtellanam inductus in eam ſententiam eſt, animadvertere ſane debuerat totidem Nepete ad Falarim *mill. paſſ.* a Geographis numerari, atque

que imprimis ab iis, qui recens topographicas Pontificiæ Ditionis tabulas perquam diligenter delineatas publicaverunt.

Sed pergamus, inquit. *Non afferemus tabulas itinerarias, in quibus notantur mill. paſſ.* XII. *a Falerio ad Amerinum Caſtrum, quod Cluverius idem atque Baſſanum eſſe animadvertit. Duodecim autem paſs. mill. ab oppido Baſſano ad Civitatem Caſtellanam numerantur.* Recte hercle feciſſet, ſi eas itinerarias tabulas attuliſſet. Nam ſi dem Baſſanum ipſum Amerinum Caſtrum eſſe, jam corruet quidquid eſt ab eo de Civitate Caſtellana dictum. Non enim XII. mill. ſed XV. mill. paſſuum, ut eſt in Geographicis tabulis accuratioribus hujuſce ætatis imprimiſque iis, quas Boſcovichius vir eruditiſſimus perfecit; recta a Civitate Caſtellana ad Baſſanum uſque oppidum numerantur; contra a Falari ad Baſſanum oppidum fere XII. & IX. *mill. paſs.* ab oppido Baſſano ad Ameriam urbem, ita ſcilicet, ut tabula Peutingeriana poſtulat. Falaris igitur, non Civitas Caſtellana Falerium illud eſt, quod in tabulis itinerariis memoratur.

Mittit modo tabulas. Ad Plutarchi præſidium confugit. *Plutarchus*, inquit, *cum ceteris univerſis antiquis Scriptoribus nobis eſt auctor, vetus Falerium fuiſſe natura maxime munitum, ſitumque in alto monte, quo difficile quiſquam poſſet accedere.* „Plutarco con tutti „gli altri antichi Scrittori ci aſſicura, che il vecchio „Falerio era dalla natura fortificato al ſommo, collo„cato ſu alto monte, e difficilmente acceſſibile„. Atque ut contuliſſe locum Plutarchi ſeſe, oſtenderet non modo Plutarchi operum paginam 133. indicavit, ſed etiam Editionem Pariſienſem anni 1624. Fidem

dem nunc ego lectorum postulo. Adsint, obsecro, cognoscant, animadvertant, quibus modis patronus Civitonicorum rempublicam litteratorum, Hortanos, ipsosque suos Castellanenses ludificetur. Tom. igitur primo *pag. eadem* Plutarchus scribit hoc modo: ϰὴ πολιν ἐρυμνὴν, ϰὴ κατεσκευασμένην πᾶσιν εἰς πόλεμον καλῶς, φαλέριυς ἐπολίορκει. *Et urbem munitam, & bene instructam omnibus ad bellum necessariis Falerios circumsedit.* Ubinam hic aut *montis alti*, aut *montis* saltem, aut *oppidi natura muniti* fit a Plutarcho commemoratio? Quis ergo posthac huic, qui Plutarchum tam fidenter, tamque falso testem appellat, credendum putabit?

Rursum Zonaræ fidem implorat, a quo novum Falerium *in planitie* [1] fuisse extructum dici, defendit. Sed *planitiei* Chronographus ille non meminit, ut paulo ante demonstratum est. Quamquam Zonaræ non major sit, quam Cencii Camerarii auctoritas. Quare quemadmodum Defensor non assentitur Cencio XIII. seculi Scriptori *Civitatem Castellanam* olim fuisse *Castrum felicitatis* appellatam ajenti, ita non moleste ferret, si ego quoque repugnarem Zonaræ, modo post ea, quæ de *monte* narraverat, hæc de *planitie* affirmasset. Nihil de Smetio dico, a quo Falerium *in agro planissimo* conditum Defensor scribi, animadvertit. Dictis enim Scriptoris tam recentis non moveor. Hoc memoria lectores interea teneant, volo: quæ veterum auctorum loca Defensor protulit, ea esse omnia aut excogitata, aut corrupta.

1 Hoc idem narrari ab Zonara Fontaninius, aliique putarunt. Sed cum iis in libro *de Episcopatus Hortani Antiquitate* contendendum non putavi. Quod nunc etiam fecissem, nisi me Defensor illius *planitiei* crebra commemoratione tam sæpe obtundere non dubitasset.

IV. Quæ cum ita ſint, concidant neceſſe eſt, quæ numero IV. *de vetere* Falerio, quod in loco fuerit, ubi nunc eſt Civitas Caſtellana: de conſtituta Cathedra Epiſcopali in Civitate Caſtellana, dum vetus illud Falerium vigebat: deque Epiſcopis Johanne VI. ſec. Falaritano Antiſtite vetuſtioribus ex veterum iiſdem confictis, corruptiſve dictis concludit. Sunt, enim vel non ſimilia veri, vel omnino falſa, & minime conſequentia.

Sed quid illud eſt, quod mox, uti teſtatum, ac certum affert? *Revera*, inquit, *cum communis opinio ſit, vetus Falerium, non fuiſſe omnino everſum ante quintum ſeculum*. Ubinam hoc, præterquam in Fontaninii libro legit? Holſtenius namque, præcipuus certe inter quinque illos Scriptores, quibus ſupra Defenſor univerſitatem doctorum virorum concluſerat, ante Ovidii tempora everſum funditus Falerium vetus fuiſſe ſcribit, templo Junonis excepto cum luco; ut ſupra *pag.4. adnotatione* 1. demonſtratum eſt. Tres vero ceteri nihil hac de re ſtatuunt. Quid? unius ne Fontaninii teſtimonio communem conſtitui opinionem defendet? Ita arbitror. Nam addit continuo: *Ut oſtendit, inter ceteros plures, eruditiſſimus Fontaninius*. Quinam hi ſunt *plures*? unum ſaltem commemoraſſet. Sed nominat omnino neminem. Næ is Defenſor quod optarat, uti verum perſuaſit ſibi, atque, quaſi verum eſſet, litterarum tradidit monumentis. Nam præter Fontaninium, qui oſtendere conatus ſit, ante quintum ſeculum non fuiſſe ſolo æquatum vetus Falerium, etſi multos legerim, Scriptorem reperi omnino nullum. Age vero, ubinam Fontaninius *evincit* (*prova*) communem hanc eſſe ſententiam de vetere Falerio non everſo ante ſeculum Eccleſiæ quintum?

tum? Non fuisse ante v. seculum Falerium funditus eversum, evincere quidem ille curavit; esse autem *hanc communem opinionem* non item. At quibus demum argumentis Fontaninius suum illud de Falerio ad v. seculum non everso dogma est conatus statuere? Plutarchi, & Zonaræ testimonio. Quam autem sit Zonaræ testimonium leve, quam male versum a Fontaninio, Defensoreque ipso Castellanensium, quam inanibus conjecturis eo contortum, quo nunc cupiunt Civitonici, cum supra a me fuerit demonstratum, nihil est caussæ, quamobrem esse rursum demonstrandum videatur. Sed audiat Fontaninium *lib.* I. *cap.* IV. *n.* V. *de Antiquit. Hortæ*. *Quo tempore*, inquit, *urbs Faleriorum diruta sit, & Falaris ædificata, quum Zonaras, id non expresserit, certo definire non licet*. Hoccine est communem dicere sententiam de non everso ante seculum quintum Falerio? Rursum quod *certo definire non licet*, auctore Fontaninio, quo demum ore ut certum usurpat, utque communem sententiam Defensor vendi-tat? Sequitur Fontaninius: *Nisi quod inclinante imperio, post cruentas illas persequutiones*, ID EGO FACTUM OPINOR. Ergone quod *factum opinor* Fontaninius dixit, *communi* continuo *sententia* comprobatum est? *Non enim moror*, pergit Fontaninius, *Famianum Nardinium, virum alioqui in antiquitate peritum, dum in libro, quem inscripsit* L'antico Vejo, *ita accepit verba Zonaræ, ac si diceret Falerios destructos fuisse a Manlio Torquato, cum particula tandem* ὕστερον *luculenter ostendat, ab Historico tradi, eam ruinam accidisse longo tempore post Manlium, qui eam urbem subegit an.* 512. Leve id quidem. Quasi vero vox Græca ὕστερον pro *deinde* plerumque non usurpetur; in easque res cadere, nequeat, quæ

 ordi-

ordine quidem, non autem temporis longinquitate ſint poſteriores. Plato in I. *de Republica libro*, ut ſexcenta alia exempla prætermittam, *pag.* 583. *edit. opp. Francofurt. an.* 1602. eum reprehendens, qui eadem in diſputatione medicum primo loco recte definierat; paſtorem poſtea non ita accurate definiendum putaverat; ut τὸ *poſtea* exprimeret, vocem adhibuit ὕστερον. Sic enim habet: ὅτι τὸν ὡς ἀληθῶς ἰατρὸν τὸ πρῶτον ὁριζόμενος, τὸν ὡς ἀληθῶς ποιμένα, οὐκέτι ᾤου δεῖν **ΥΣΤΕΡΟΝ** ἀκριβῶς φυλάξαι. Non ergo quidquam impedit vox ὕστερον, quin Manlius, qui primum edomuerat Faliſcos, quique poſt agro multaverat, eos deinde urbe privaverit.

At extat lapis apud Gruterum *pag.* CCLXVII. qui ab *Ordine, Populoque Coloniæ Faliſcorum Imperatori dicatum monumentum* demonſtrat. Quid hoc ad rem? An *Falerium* novum, quod Holſtenius ante Ovidii tempora conditum arbitratur, colonia eſſe non potuit Faliſcorum, dicareque monumentum Imperatori? Quod ſi conjecturis ſtandum eſt, veraque de everſo Falerio vetere tradidit Zonaras, ea everſio ante tempora Strabonis evenerit, neceſſe eſt. Strabo enim non munitam urbem, quemadmodum de vetere Zonaras ſcripſit; ſed *oppidulum* adeoque expugnatu facile, fuiſſe ſua ætate Falerium teſtatur. Vide librum noſtrum *de Epiſcop. Hortani Antiquit. cap.* V. *pag.* 55. Vetus igitur illud Falerium, Strabone indicante, perierat, ac ſi vera Zonaras tradidit, novum conditum fuerat, ejus loco oppidulum. Jam Eutropius ſeculi quarti ſcriptor urbis Faleriorum non meminit, ſed Civitatis Faliſcorum, hoc eſt populi, qui civitatem conſtitueret, atque civitatem *olim*, nempe *Manlii temporibus* fuiſſe

ſe opulentam ſcripſit. *Confer librum de Antiq. Hortani Epiſcopatus. Cap. v. pag. 98.* Id quod efficit (ſi in vetere Falerio opulenta fuit civitas: in novo, vero, quod ex Zonaræ teſtimonio ſequitur, non item) temporibus Eutropii, novum Falerium viguiſſe, quod extructum jam ante Strabonem fuerat. Atque quinto ſeculo Falarim, quam in via Amerina ſitam Fontaninius ibidem ſtatuit, idem oppidum fuiſſe, atque Falerium, tabula Peutingeriana demonſtrat. Vide *lib. de Antiquit. Epiſc. Hortani cap. v. pag. 58. ſeq.* Tum primum autem conditam fuiſſe Falarim, quis umquam dixit? Immo cum Strabo exiguum oppidum fuiſſe ſuo tempore Falerium; idque ſeculo IV. confirmarit Eutropius; cumque deinceps, hoc eſt non multis annis poſt Eutropium, oppidum Falerios Falarim eſſe indicarit Auctor Tabulæ Peutingerianæ, argumento id eſſe debet, Falarim ipſam Strabonis etiam ætate fuiſſe appellatam Falerium. Quid? Si Fontaninius idem locum Ammiani Marcellini ex lib. XXIII. cap. v. proferat, ex quo *Colligi*, ait, *multo jam ante annum* CCCLXIII. Falerium vetus *fato ceſſiſſe*? Nam Ammianus ſic inducit Julianum Imperatorem loquentem: *Faliſcos ita oppreſſit (mars) & Vejos, ut ſuadere nobis laboret monumentorum veterum fides, ut has civitates aliquando valuiſſe credamus.* Age vero, annon VI. ſeculo idem, teſte Fontaninio, Jornandes Hiſtoricus confirmavit, qui pro *valuiſſe*, ſcripſit *fuiſſe*? At Jornandis tempore exiguum oppidum Falerium, non Civitas Caſtellana erat, ſed Falaris, ut ex Tabula Peutingeriana, v. ſeculo perfecta, liquet. *Falaris* ergo fuerit Faliſcorum ille locus neceſſe eſt, cujus ante Ammianus meminerat, quemque multo ante Ammianum memorarat Strabo.

Inane

Inane porro est argumentum, quod ex Usuardi Martyrologio Fontaninius repetit. Nam Usuardi *ad Prid. Id. Aug.* locus sic habet: *Urbe Phalari passio Graciliani, & Felicissimæ Virginis &c.* Fontaninius autem non *Phalari*, neque *Falari* (ut Codex, quem ipse penes se habuerat, postulabat) sed *Faleriæ* esse legendum contendit, quod ita, ex monumentis Civitatis Castellanæ legi oportere Magnus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum docuerit. Sed quam sint vetera illa monumenta Baronius non indicat, ut ostendat eam lectionem præferri vulgatæ, quæ est in Codicibus Usuardi, debere. Veruntamen fac *Faleriæ* sit legendum: an quam nos *Falarim* in via Amerina sitam vocamus, eamdem auctor Tabulæ Peutingerianæ *Falerios* non appellavit? Id nos *in lib. de Episc. Hort. Antiquitate* evicimus *cap.* V. *pag.* 59. vide Tabulæ Peutingerianæ Fragmentum, *in eodem libro c.* VI. *pag.* 66. Quid ergo obstabat, quin *Falaris* vocaretur *Faleria* ab Usuardo, aut ab auctore Monumentorum illorum Castellanensium, cum *Falerios* appellata sit ab Auctore Tabulæ, vetusque *oppidum Faliscorum* veteres non *Faleriam* sed *Falerios* nominarent? Vide *lib. de Episc. Hortani Antiq. c.* V. *p.* 59. Simile est argumentum, quod ex aliis Actis SS. MM. concludit Fontaninius. Nam sive *Falerios*, sive *Faleriam* urbem appellent, parvi refert. Constat enim *Falarim* V. seculo fuisse appellatam *Falerios*. Atque hæc dicta sunt, ut quisque intelligat, nihil eorum demonstrasse Fontaninium, quæ de Castellana Civitate demonstranda susceperat; errasseque proinde Defensorem Castellanensium, ut qui *pag.* 10. scripserit: *Come prova fra gli altri molti l'eruditissimo Fontanini*. Ceterum ego *Falerios* urbem semper in eodem loco, atque

Fala-

Falarim fuiſſe cenſeo ; reductam autem ex munita urbe jam uſque a Manlii temporibus in oppidulum, itaque ad Strabonis , Juliani , Ammiani , Eutropii, Theodoſii, Jornandis , & poſteriora tempora ad ſeculum XI. manſiſſe . Vide *lib. de Hortani Epiſcop. Antiq. c.* v. *ſeq.*

Miror præterea a Defenſore ipſo , tam facile pronunciari, ante ſeculum v. non fuiſſe everſam urbem Falerios, appellarique ejus rei Fontaninium teſtem . Fontaninius enim ante a. CCCLXIII. *Falerios fato ceſſiſſe* , ut vidimus , ſcribens ; ante ſec. v. everſam eam urbem , confeſſus fuerit neceſſe eſt . Prætereo , quæ ex ceteris Fontaninii verbis partim affictis viro ſummo , partim male , ut eſt oſtenſum , conſtitutis , Defenſor de *Epiſcopatu Civitonico Faleriorum* in novum *Falerium tranſlato* concludit , ac turbat . Nam quæ ex malis principiis male ducta ſunt , ruunt ipſa per ſe , orationeque , qua refutentur , non egent .

§. III.

V. *Cathedra Epiſcopalis Civitonica non eſt vetus Cathedra Falaritana* . VI. VII. VIII. *Inſcriptio Leonis Epiſcopi , quæ in Civitate Caſtellana ſervatur , adjumento eſſe Civitonicis nullo modo poteſt* .

V. Animadvertant modo lectores volo , quam ſit Defenſor Caſtellanenſium liberalis . *Ma via* , inquit , *num.* 5. *non ſi pretenda , che l' odierna Città Caſtellana , ſia l' antico Falerio* . Scilicet ingratiis . Nam acta res eſt . Pergit *e queſta poco meno , che univerſale ſentenza* (*univerſalis ne ſententia erit* , quam Scriptoribus tantum quinque fuiſſe probatam , vix , immo vero ne vix quidem oſtenderit ?) *non abbia per ora luogo . Sia ſtata*

ſtata pure, ſe così piace o l' antico Vejo, o l' antico Feſcennio, anzi di più ſi creda nata, ne' tempi di mezzo dalle rovine della vicina Falari, come ha ſuppoſto Antonio Maſſa. (Nihil horum concedimus) *E che perciò. Si avrà forſe ancora difficoltà di concedere almeno, che la Cattedra Veſcovile di Città Caſtellana ſia l'antica Cattedra Falaritana?* Dubiumne eſt? Id enim illud eſt, quod equidem vehementer nego. Vide librum meum *De Epiſc. Hort. Antiq. cap.* V. *pag. ſeq. & cap.* VI. *n.* III. *p. 66. 67. 68. 69. & 70. Ma la forza delle ragioni non permette di porlo in controverſia.* Quænam hæ ſunt rationes? obſecro. *La univerſale; e non mai contraſtato conſentimento.* Quorum eſt ea Scriptorum conſenſio? Quinque, vel octo ſummum nobis Scriptores numerabit novos, qui id ſcripſerint. Sed nos veteribus, non novis conſentimus. Quid ſi Epiſcopus Caſtellanenſium Tenderinus *Evanuiſſe Epiſcopatum Falaritanum* affirmet, in iis documentis, quæ Caſtellanenſes congeſſerunt? *Sed propinqua eſt*, inquit, *Falaris Civitati Caſtellanæ.* Fateor. Statuendum eſt igitur, addit: *O che la Sede Falaritana fu traſportata fuori di Dioceſi, o che ſia ſtata trasferita in Città Caſtellana.* Neutrum horum ſtatuendum eſt. Nam eſt tertium. Suppreſſa eſt, ſublatque funditus Cathedra Falaritana, atque nova erecta Civitatis Caſtellanæ eſt Cathedra. Id ultro fatetur, in eo, quod proxime indicavi monumento, Tenderinus Epiſcopus olim Caſtellanenſium. *Evanuiſſe* namque, ait, Epiſcopatum Falaritanum, novumque proinde inſtitutum Caſtellanenſem, ſed quo tempore, non conſtare. Atque Ferentum oppidum propinquum Viterbio fuiſſe, quis umquam negare audeat? Nam id rudera ejus oppidi plane demonſtrant. Quid ergo? An

Epiſco-

Episcopatus Ferentanus translatus Viterbium, aut alio quopiam est? Nihil minus. Nam si translatus Viterbium, aut alio fuisset, extaret ejus rei aliquod monumentum. Ex Epistola autem Innocentii III. quam *cap.* VI. *lib. de Episcopatus Hortani Antiquitate p.* 70. descripsi si quid concessum est privilegii Ecclesiæ Viterbiensi, id totum intelligitur, non ex translata Ferentana Carhedra Viterbium, quæ sublata omnino fuerat, sed ex *speciali unione* Viterbiensis Ecclesiæ cum *Tuscanensi*; exque Sedis Apostolicæ beneficentia esse profectum.

Ma l' argomento decisivo, inquit, *e che riduce la cosa all' evidenza, togliendo di mezzo ogni qualunque difficoltà si è questo*. Quis ab hoc genere *decisivi* argumenti, omnemque *difficultatem tollentis* non metuat? Audiamus cujusmodi sit. *Abbiamo*, inquit, *un monumento Ecclesiastico somministratoci dal Concilio Romano dell' anno* 1033. *in cui il Vescovo Benedetto si sottoscrive così*: „ Benedictus *Episcopus Falaritanæ*, & *Castellanæ* „. Ego vero nego hujusmodi subscriptionem genuinam esse. Id si demonstraro, jam vis argumenti illius *decisivi* evanescet.

Quæro: quo tempore Benedictus ille subscripserit? Anno, inquit, 1033. Unde id constat? Ex Actis Concilii, Romani sub Benedicto IX. Nego enim vero Acta ejus Concilii, quod Defensor, commentus est, in Collectionibus Synodorum Labbeana, Harduiniana, Veneta extare. *Privilegium* Benedicti IX. appellat Ughellus [1], *Bullam* Coletus [2] eam, cui Benedictus subscripsisse

1 *Tom.* 1. *Ital. sacra Edit. Venet. pag.* 597. „ Benedictus Castellanæ Civita-
„ tis, & Falaritanæ Episcopus, *inquit*, subscripsit Privilegio Benedict. IX.
„ Ecclesiæ Silvæ Candidæ an. 1033.

2 *Tom. ult. Ital. sacra. Ejusd. edit. in Episcopat. Antiquat. in serie Episc. Falaritanor.*

psisse fertur, non Synodum. At in eo Privilegio Indictio VI. notatur, quæ an. 1037. & 1038. respondet, non an. 1033. Sed fieri, inquiet Defensor, nullo modo potuit, ut an. 1038. id privilegium caussa Petri s. Rufinæ Episcopi scriberetur. Nam Petrus an. 1035. obierat. Ergo ne quia Petri annus emortualis impedit, quin in annum 1038. id privilegium referatur, referendum in annum 1033. est & pro indictione VI. scribendum indictione II.? Ita, dicet, Ughello Bollandianisque placuit. Ego vero non quid Ughellus, Bollandianique scribant, sed quid monumentum postulet, quod gravissimum putat esse Defensor, quæro. Verumtamen quid multis opus est? Ne anno quidem 1033. aut 1034. aut 1035. quo postremo Petrus decessit, scribi id privilegium potuit. Nam ab anno 1015. ad anno 1037. Crescentius Episcopus fuit Falaritanus, ut libro *De Hortani Episcopatus Antiquitate* ostensum est *cap.* VI. *pag.* 68. Cum enim Cathedram Falaritanam, ab an. 1015. ad 1033. 1034. 1035. 1036. 1037. Crescentius idem occuparit, quo tandem modo fieri potuit, ut Falaritanæ Ecclesiæ, & Castellanensis Episcopus Benedictus an. 1033. esset, privilegioque subscriberet? Relinquitur ergo, ut vel privilegium ipsum falsum sit, vel falsa saltem Benedicti subscriptio. Ita fit, ut *Argumento decisivo Denforis* nihil insit virium. Confer quæ scripsi *in lib. de Episc. Hortani Antiquit. pag. 69.*

VI. VII. VIII. Quæ deinceps Defensor contra Dominicum Georgium disputat, ad rem profecto nostram non pertinent. Nos enim ipsi Georgii sententiam, quæ Castrum Felicitatis idem, atque Castellanam Civitatem fuisse ferret, copiose refutavimus in *extremo capite libri de Episcopatus Hortani Antiquitate*.

VII.

Numero quidem octavo, inscriptionem Leonis nescio cujus Episcopi, quam n. VI. descripserat, & in qua fit certe Falaris, sed non alterius cujusquam urbis, aut oppiduli mentio, expensurus Defensor Castellanensium, sic nihil dubitans, loquitur: *venghiamo ora al pocanzi riferito monumento del vescovo Leone, in cui si legge aver egli* RISTORATA LA CHIESA DI S. MARIA DI CITTA CASTELLANA, *ed arricchita di molti fondi*.

Lectorum ego appello fidem. Legant etiam, atque etiam considerent, num in eo monumento *Ecclesia Civitatis Castellanæ* memoretur? Est enim, uti ab Defensore descriptum est, illud monumentum, hujusmodi: ✝. *Beata Dei Genetrix semper virgo Maria de tua tivi dona Leo indignus Episcopus te largiente reparavit, & si qui ex successorib. nostris, qui pos nos benturi sunt, Episcopi ex ea quod hic scripta sunt, alienare voluerit, anathema sit, ac de Tribunib. vel Comitib. Clero, aut Populo, qui consenserit, anathema sit. A.* DCCCLXXI. *Fund. Cassianum in integrum. Fund Statilianum in integrum, Fund. Mac... tione, ut sit semper in scm Gratiliam Clusura, pomam intampiana. Snb balneum cum mola & ortum, qui Padeuntes. Omnia in integra. Olivitu in fund. Agellu. Nucitu Gi? In Falari fund Terrani uncias octo. Fund. Tibilianu unc. octo. Fund. Marta unc. octo. Fund. Agellu in integr. Fund Mitilianu in integr. Domucella quam ante s. Clemente cum ortua sua, & domucella cum ortua, & ubi manet Alaricus Prb, ut sit semper sua Ambas de Mansionarii Fund. Bassiani uncias* III. Est ne hic verbum ullum, quod Castellanam Civitatem indicet, aut Ecclesiam in civitate Castellana restitutam? Et hoc tamen monumento allato, Georgio, quasi rem gratam facturus Defensor, *Io concorro*, addit, *ben volontieri a credere*

con Monſignor Georgi, che il Veſcovo Leone riſedeſſe in Città Caſtellana. Non dubito, quin libenter id credat. Hoc non intelligo; quo demum modo ex ea inſcriptione inducit poſſit, ut credat. Nam Leo Epiſcopus in ea non affirmat, ſediſſe ſe eo in loco, in quo Eccleſiam reſtituit. An prima hæc Eccleſia fuiſſet reſtituta ab Epiſcopo, fundiſque ditata in Parochia quapiam Dioeceſis ſuæ, qua ille in Parochia non reſideret? Quid? Si negem eam inſcriptionem ad Eccleſiam Cathedralem Caſtellanam pertinere? Dominicus Mazzocchius in libello inſcripto: *Supplimento a Civita Caſtellana pag. 35. edit. Rom. an.* 1663. quemadmodum ea fuerit inventa, narrat: E ſtata, inquit, *ritrovata ultimamente dal noſtro Veſcovo Monſignor Altini, il quale per la ſua pietà preſa ad illuſtrare la Chieſa di s. Chiara di detta Città Caſtellana con arricchirla del glorioſo corpo di s. Paolo Martire, e d'altri devoti ornamenti, nel demolir un altare vi trovò ſopra la menſa un antica lapide, nel cui roveſcio del piano di ſotto erano lettere inciſe, ed oſſervatele di qualche conſiderazione, la fe portare al ſuo Veſcovato, d'onde* FORSE PRIMA ERA STATA TOLTA, *e benchè non* VI SI ESPRIMA NÈ LA CITTÀ, NÈ IL TEMPO, *nondimeno per* ESSERSI TROVATA IN CIVITA, *ed eſprimerviſi molti ſiti, e circoſtanze di queſto territorio, è certo, che fu una laſcita, donazione, o ricuperazione fatta alla noſtra Chieſa di s. Maria da un tal Veſcovo Leone*: Poſt ubi Mazzocchius ignotum hunc Leonem fuiſſe Ughello animadvertit, eam inſcriptionem refert. *Beata Dei Genitrix &c.* Non ergo in Eccleſia Principe s. Mariæ Civitatis Caſtellanæ, ſed inverſa reperta eſt in altari Ædis Sanctæ Claræ loco menſæ. Qua igitur confidentia Defenſor pronunciat, pertinere eam ad Eccleſiam Cathe-

thedralem Castellanensium? At ex Cathedrali, dicet, translata in Ecclesiam S. Claræ fuit. Vincat hoc si potest, aut ex inscriptione ipsa, aut ex aliquo monumento. Cur non potius ex ruinis proximæ Falaris ad Civitatem Castellanam translatam fuisse, pertinuisseque ad templum S. Mariæ Falaritanæ dicemus? Nam 1. in inscriptione Falaris fit mentio, Civitatis vero Castellanæ, aut loci, in quo est Civitas Castellana, quique alio nomine vocaretur, nulla fit mentio. 2. Nemo est Scriptorum, nullum est monumentum vel XI. seculi, ex quo ostendi possit Civitatem Castellanam fuisse extrui cœptam ante X. seculum, aut in loco ubi est Civitas Castellana ullum fuisse templum. 3. Longe est credibilius ex ruinis proximi oppidi translatos lapides fuisse sec. XIII. ad extruenda altaria s. Claræ, quam ex integro templo Civitatis Castellanæ. Sed opponit Defensor, indicari in Inscriptione fundos, qui ad territorium Castellanense spectant. Sed quis non videat, pertinuisse antequam eversa Falaris fuisset, eos fundos ad territorium Falaritanum? Ad Ecclesiam vero s. Mariæ, quo etiamnum nomine appellatur Falaritanum templum, cum is lapis, eaque inscriptio potius pertineat; quibus momentis, quibusve modis ex ea concludet Defensor, Episcopum, qui eam perfici curavit, Leonem fuisse, *unum ex primis Episcopis, qui Cathedram Episcopalem Falaritanam transtulerit, sedemque in Civitate Castellana constituerit, quæ Civitas non multo ante ex ruinis Falaritanis renata esset*? Quas ruinas Falaris ante seculum IX. jactat? Annon demonstratum a me est, ex *diplomate Farfensi* Falarim ad XI. seculum non fuisse eversam? Vide *lib. de Episc. Hortani Antiq. pag. 68.*

At

At est, inquit Defensor, in ea inscriptione, *reparatam fuisse Ecclesiam S. Mariæ* a Leone. Quis negat? Sed vincat Defensor, verbum *reparavit* ad Ecclesiam Castellanam, non ad *Ecclesiam Falaritanam* spectare? Cum autem concedat ex ruinis Falaris fuisse extructam Civitatem Castellanam, cur non item concedet, XIII. vel XIV. seculo translatum eum lapidem ex ruinis Falaris fuisse ad Civitatem Castellanam, ut in altari Ecclesiæ Castellane S. Claræ poneretur loco mensæ? Somnia igitur sunt, quæ mox jactitat: *Noi consideriamo quel* reparavit, *e riflettiamo, che una tal voce due cose significa, che quella Chiesa, la quale è ancora oggidì la Cattedrale, nè' tempi antecedenti esser dovette in ottimo stato. La seconda, che allora era in uno stato assai misero. Dall' esser ella stata una volta in florido stato, ne deduciamo, che quando ci si volesse concedere, essere stata Città Castellana l' antico Falerio* (Frustra id Defensor postulat. Negatum jam est) *Questa esser forse dovette la Cattedrale antica, la quale per la sì longa assenza de' Vescovi era andata in rovina*. Somnia, inquam, hæc sunt, ficta lapidis caussa, qui ad civitatem Castellanam non pertinet.

Nunc mihi Defensor placet. Fatetur enim neminem esse Scriptorum Goticarum, aut Longobardicarum rerum (*p.* 17.) qui cum faciat *minuta menzione di tante Città, terre, e Castelli o distrutti, o fortificati, o occupati, o restituiti nella Toscana, e Ducato Romano, e misurando per così dire il Paese palmo a palmo, non ferono mai ricordanza di alcuna terra, abitazione, o Castello, che ivi fosse, ove è ora Civita Castellana, e* CHE DOVEA PUR NOMINARSI SE NON PER ALTRO ALMENO PER ESSERE SÌ BEN MUNITO DALLA NATURA. Egregie id quidem.

dem. Cum ergo nulla historia, liber nullus alicujus Scriptoris VIII. aut IX. seculi, nullum Monumentum denique reperiatur, in quo fiat mentio, *di alcuna terra, abitazione, o Castello, che ivi fosse, ove è ora Città Castellana, e che dovea pur farsi, se stata vi fosse* (propterea quod Scriptores VIII. & IX. seculi, inprimisque Anastasius faciant *minuta menzione di tante Città, terre, e Castelli distrutti, e fortificati, o occupati o restituiti*) fit ita ut Defensori Castellanensium, ob ea quæ statuit, omnino sit concedendum, VIII. seculo, & IX. in loco, ubi nunc est Civitas Castellana, *non vi fosse terra, nè Castello, ne abitazione*, adeoque ne Ecclesiam quidem illam Catedralem, quam jactat, & cujus caussa positam inscriptionem defendit.

Adjungit Defensor: fuisse locum, in quo est Civitas Castellana ad VIII. seculum, quo tempore Gregorius II. Pontificatum obtinebat, *Massam Gratilianam, e per conseguenza niente più, che una semplice union di poderi*. Præclarus sane locus, qui propterea Hortæ urbi, & Cathedræ sit preferendus!

Finem numero VIII. imponit defensor his verbis: *L' averla poi Leone arricchita di tanti fondi, e quasi tutti nelle vicinanze della Città, mi persuade, che abbia egli ciò fatto per allettare i successori a colà stabilirsi per la vicinanza delle loro possessioni, e in questa guisa, che la Cattedra Vescovile sia passata da Falari in Città Castellana.* Ridiculum! Quasi vero ii fundi non sint etiam propinqui Falari. Quid? num Falarim, quæ in Inscriptione memoratur, propinquiorem Civitati Castellanæ, quam Falari ipsi fuisse putabimus? Inanæ profecto conjectationes hæ sunt, quæ omittendæ, non confutandæ esse longa oratione videantur.

§. IV.

§. IV.

IX. *Ex falsa Benedicti Falaritani subscriptione nihil elicere Civitonici possunt, quod ipsorum Cathedræ antiquitati subsidio sit.* X. *Nullum est monumentum, quod efficere queat, Antistitum Falaritanorum fuisse aliquem, qui se appellaret Civitatis Castellanæ Episcopum.*

IX. Redit Defensor ad Benedicti Episcopi Falaritani subscriptionem; quam nos paullo ante *num.* v. falsam esse ostendimus; multaque exempla Ecclesiarum, ut Sarzanensis, ut Niciensis, ut Cajetanæ profert, quibus ostendat, factum ex translatione Sedis ex una in aliam urbem fuisse, ut utriusque urbis titulum Episcopi in subscriptionibus sibi assumerent. At id a nobis negatum numquam est. Hoc negamus de Castellanensibus Antistitibus solum. Nam præter falsam subscriptionem Benedicti, nullam aliam afferre possunt, ex qua constet Episcopos ejus urbis, *Falaritanos & Castellanenses* se appellasse.

X. Numero decimo, alios Episcopos ante Benedictum viguisse ait, qui sedem Falaritanam ad Civitatem Castellanam transtulissent, appellatique fuissent Castellanenses. Primum ex Inscriptione Leonis, de qua plura paragrapho superiore diximus, quamque perfectam defendit fuisse anno 871. efficere conatur, Leonem ipsum in Civitate Castellana sedisse. Sed Labitur. Nam primo de anno quod dicit, aut falsum, aut dubium saltem est. Etenim Mazzocchius Castellanensis in ea inscriptione annum esse notatum negat. *Loc. indic. pag.* 38. *Gli anni del Signore, quì non sono.*

Secun-

Secundo, inſcriptio illa, ut ſupra oſtenſum eſt, ad Eccleſiam s. Mariæ Falaritanam, non ad Eccleſiam Caſtellanenſem pertinet. Tertio Epiſcopus Leo ſe Caſtellanenſem non vocat, quod ultro fatetur Defenſor Caſtellanenſium. At Creſcentianus, inquit idem Defenſor, *Civitatis Caſtellanæ Epiſcopus* x. *ſeculo appellatus eſt, ut conſtat ex Actis Tranſlationis Corporum ſanctor. Abundii & Abundantii.* Ego vero de his *Actis*, deque *Creſcentiano* quid ſentirem, oſtendi in v. *Capite libri de Epiſcopatus Hortani Antiquitate pag. 62.* Sed quoniam ad ea Acta adverſarius provocat, paulo diligentius expendenda ſunt. Ajo igitur longo poſt tempore, quam ss. Abundii, & Abundantii corpora tranſlata in Civitatem Caſtellanam fuerunt, deſcripta a Caſtellanenſi quopiam fuiſſe, qui cum Creſcentii Epiſcopi fieri in monumentis extremi ſeculi x., & ſeculi xi. mentionem vidiſſet, putavit fuiſſe eum Epiſcopum Caſtellanenſem. Nam ſeculo xiii. aut xiv. quo Actorum forte Conſarcinator vixit, Falaritani epiſcopatus ne appellatio quidem ſuperſtes erat. Cur autem ſeculo xiii. aut xiv. vixiſſe eum putem, faciunt aliquot fabulæ, quibus ipſe eorumdem actorum Conſarcinator delectatus eſt, quæ certe fabulæ ab Auctore ſynchrono, niſi ludibrio exponi voluiſſet, dici non potuiſſent. Quid enim? Hiſtoriæ ne loco habendum quis cenſeat, quod ille ſcribit, *ex imagine B. Theodoræ ubi erat depicta, aquam incepiſſe defluere, ut etiam ſacerdotes, qui ibidem vigilias celebrabant, ex ea faciem ſibi lavare potuiſſent . . . & lilia repente florem emiſiſſe.* Altaris præterea, quod is Auctor Actorum conſtructum a Creſcentiano ait fuiſſe *pag. 31.* nullum veſtigium in Caſtellanenſi Cathedrali

Ecclesia extat. Omnia enim ejus Ecclesiæ monumenta, quæ Tenderinus Episcopus Castellanensium perquisivit, & Sacræ Congregationi Concilii proposuit, ut ex Castellanensium Documentorum Appendice liquet, non sunt antiquiora XIII. seculo. Quid? quod idem Crescentius Conciliis an. 1015. & 1037. subscribens sese non Castellanensem sed Falaritanum Episcopum vocet? Vide *lib. de Episc. Hortan. Antiqu. cap.* V. *pag.* 62. & *pag.* 68. *c.* VI. An ignorabat Crescentius, cujus ipse Ecclesiæ Antistes esset, norat autem contra *Actorum Translationis SS. MM. Abundii, & Abundantii* Scriptor? Quin etiam animadvertendum est, ne a Scriptore quidem ipso Actorum *Castellanensem Episcopum* appellari Crescentium, sed *præfuisse* eum, dici, Castellanensi Ecclesiæ.

Nam si in ejus ditione, seu Dioecesi Castellanensis vicus erat, ut erat sane, nequivissetne dicere, *præfuisse eum Ecclesiæ Castellanensi*? Quis enim neget E. G. Episcopum Hortanum præesse Ecclesiæ Sorianensi, & Bassanellensi, etsi eæ Ecclesiæ non sint ex earum numero, quas Cathedrales vocant? Manet ergo 1. *Crescentium* fuisse *Episcopum Falaritanum*, ut ipse se appellat; non vero *Castellanensem*, ut ne ab Auctore quidem fabulosorum Actorum Translationis corporum *SS. Abundii, & Abundantii* appellatur. 2. Nullam esse caussam, quamobrem resedisse Crescentium in urbe Castellana arbitremur. Nam extabat adhuc Falaris, ut ex monumento Farfensi IX. seculi, quod laudavi *p.* 67. *libri de Antiq. Episc. Hort.* constat. Civitas autem Castellana tunc forte cum Episcopatum obtinebat Crescentius, ædificari coepit. Nemo enim est Scriptorum antiquiorum, qui eam memoret. Quæ cum ita sint, nihil

nihil ex Consarcinatore *Actorum Translationis corporum SS. Abundii, & Abundantii* petere præsidii Defensori Civitonicorum licet. Sed addit idem Defensor: *Se egli ancora non risedeva in Città Castellana, ma in Falari, e perchè mai portar volle i corpi de' santi Martiri in Città Castellana piuttosto, che in Falari, ch' era la propria sua Cattedrale?* Levis sane quæstio, nec satis digna Patrono Civitonicorum. Quasi vero Episcopis vitio dandum hoc tempore sit, quod sanctorum Martyrum lipsana, non in suas Cathedrales persæpe, sed in alias quasdam Ecclesias sive urbis, in qua resident, sive oppidorum, vicorumve in suis Dioecesibus constitutorum & transtulerint olim, & etiamnum transferre consuerint. At decebat præterea, ut novo in oppido Castellanensi, quod tum oriri cœpisset, inque nova Ecclesia, novorum incolarum gratia, pietatisque ergo lipsana tunc inventa sanctorum Martyrum transferrentur. Quare non erat, cur ea quæstione tam inani proposita, statim Defensor, nescio quibus dialecticæ artis regulis concluderet: *Ed ecco in conseguenza fin da quel tempo la Sede Falaritana non soppressa, non destrutta, ma trasportata in Città Castellana.*

§. V.

XI. *Cum Defenſor Caſtellanenſium oſtendere numquam potuerit Sedem Falaritanam fuiſſe ad Civitatem Caſtellanam translatam, inania ſint oportet, quæ ex conficta translatione ipſa concludit.* XII. *Quinetiam nullo argumenro evincere poteſt, tam eſſe veterem Eccleſiam Falaritanam, quam ipſe ſibi perſuaſit.*

XI. Niſi Defenſor aliquo monumento vetere demonſtret, Sedem Falaritanam fuiſſe translatam ad Caſtellanam Civitatem, Caſtellana Cathedra in recens conſtitutis numeranda erit. Nullum autem eſt monumentum, quod evincat, Cathedram Falaritanam fuiſſe ad Civitatem Caſtellanam translatam; nulluſque Epiſcopus fuit, ut hactenus oſtendimus, qui ſe *Falaritanum*, & *Caſtellanenſem* diceret. Habenda igitur erit Cathedra Caſtellanenſis in earum numero, quæ recens conſtitutæ ſunt. Etenim Formianam Cathedram Cajetam; Viromadenſem, & Noviomagenſem Tornacum, Cemelenſem Nicæam tranſlatas ſcimus, quod vel extent translationis certa documenta, vel Epiſcopi earum ſeſe *Formianos, & Cajetanos: Tornacenſes, Viromadenſes, & Noviomagenſes: Cemelenſes, & Nicienſes* appellarint, quod idem oſtendit Defenſor Civitonicorum *pag.* 18. & 19. Cum igitur, nulla extent documenta tranſlationis Cathedræ, nullique Epiſcopi Falaritani ſeſe Caſtellanenſes dixerint, ſequitur, ut non ſit concedenda Cathedræ Falaritanæ ad Civitatem Caſtellanam tranſlatio. Quamobrem fruſtra adjungit Defenſor: *Acciocchè ſi conoſca, che la Cattedra Veſcovile di*

Città

Città Castellana, ch' è la stessa colla Sede di Falari in lei trasportata è una di quelle Sedi sì antiche, l' istituzione delle quali supera ogni memoria. Sed adnotanda etiam atque etiam sunt, quæ mox addit verba: *Quindi non è ella* (la Chiesa Falaritana, e Castellanese) *una di quelle Sedi, delle quali ebbe a ridersi uno de' letterati più celebri dell' età nostra; le quali a forza di vani racconti, e di favole bellamente tessute, e colorite, sotto ancora lo specioso titolo di Atti di santi Martiri, e Vescovi coll' ambizione di farsi credere più nobili, perchè più antiche delle altre, deducono la loro origine dal* I. *secolo.* Quid enim aliud, obsecro, hactenus fecit Defensor Castellanensium, quidque deinceps faciet, ut videbimus, quam falsis subscriptionibus, Actisque spuriis Translationum Corporum sanctorum Martyrum Ecclesiæ Castellanensis vetustatem jactare, Ecclesiæque Falaritanæ antiquitatem ab Apostolorum memoria repetere, cum ejus originem immemorabilem esse scripserit? Risisset ergo Maffejus (quem idem eas, nescio, quas Ecclesias ridentem inducit) Ecclesiæ Castellanæ Antiquitatem.

Petit porro ab suis lectoribus Defensor Civitonicorum, ut ne Falaritanam Cathedram recentiorem esse Fidenate, atque Foronovana putent. Nam etsi primum Falaritanorum Antistitum, cujus memoratur in tabulis Ecclesiasticis nomen, Johannem fatetur esse, qui extremo seculo VI. floruit; tamen alios ante floruisse ejusdem urbis Præsules arbitratur, quorum tamen monumenta injuria temporum interciderint. Sed hoc, ut ab lectoribus assensionem extorqueat, non affirmandum modo, sed ipsi veterum etiam auctoritate demonstrandum est.

XII.

XII. At seculo, *inquit*, III. & IV. Episcopales Sedes frequentes, parumque una ab altera distantes erant, ut ex Balutii *nova Collect. Concilior. pag.* 854. & Georgii *lib. de Cathedra Setina num.* XLVIII. perspicitur. Quamobrem data deinceps opera est, ut ejusmodi abusio tolleretur. Nota namque, ac pervulgata sunt Synodi Laodicenæ, quæ anno 320. & Synodi Sardicensis, quæ anno 347. celebratæ sunt, Orientalium Ecclesiarum causâ, lata decreta; duarumque Carthaginensium quarum altera anno 390. altera vero anno 397. ob Ecclesias Occidentis, est habita. Accedit ad hæc S. Leonis I. Pontificis Maximi auctoritas, qui scribit hoc modo: *Ne in quibuslibet locis, & Castellis, & ubi ante non fuerunt, Episcopi consecrentur, cum ubi minores sunt plebes, minoresque Conventus, Presbyterorum cura sufficiat*; additque esse id privilegii genus frequentibus populis, magnisque concedendum.

Sed videat, quam id sit inane. Nam si ex Epistola S. Leonis ad Episcopos Africanos Provinciæ *Cesariensis Mauritaniæ* [1] qua prescribitur ne in *Castellis, & ubi ante non fuerunt, Episcopi* consecrentur, argumentando consequi se putat Defensor posse, Episcopatum Falaritanum institutum post Leonis tempora non fuisse; concludere etiam ipse potero, ne post annum quidem 347. quo celebrata Synodus Sardicensis fuit (quæ certe Synodus, ad quam Episcopi Occidentales præsertim convenerant, Occidentalibus potius leges scripsit, quas Magno in pretio semper Romani Pontifices habuerunt) fuisse Falaritanam Cathedram constitutam. Est enim ejus Synodi Canon VI. [2] *de non Ordinan-*

1 I. *alias* LXXXVII. *pag.6. edit. Romanæ Cacciari.*
2 *Tom.*1. *Concilior. edit. Hard. pag.*640.

dinandis Episcopi per vicos, & modicas Civitates. Quid? si ne post Synodum quidem Laodicenam, quam anno 320. habitam Defensor censet, cujusque canones Sedes Apostolica jam usque ab antiquissimis temporibus adoptarat sibi, & cujus decretum LVII. [1] eodem atque Canon Sardicensis spectat? Immo vero ne post ætatem quidem Apostoli Pauli, cum is *Capite*. I. *v*. 5. *Epistolæ ad Titum*, reliquisse se suum hunc Auditorem, atque Discipulum Cretæ dicit, ut *constituat per* CIVITATES, hoc est, *urbes* (πόλεως enim vocabulum adhibet) Presbyteros (*Presbiterorum* autem nomine *Episcopos* intelligit [2]). Atque hanc fuisse Apostolorum consuetudinem, Clemens Petri, atque Pauli Apostolorum Auditor in Epistola genuina ad Corinthios scribit, ut κατὰ πόλεις *per urbes* Episcopos instituerent. Quodsi nihil consuetudo Apostolorum obstitit, nihil Synodus Laodicena, nihil Sardicensis, quo minus Episcopatus in Castellis ante Leonis tempora constituerentur; quid est, quod concedi id etiam post Leonis tempora uni alicui oppidulo potuisse negemus? Annon etiam Leo eadem Epistola cavit, ut *canonum statuta servarentur*, quibus præscriptum esset, ne *deinceps Episcopi in Castellis consecrarentur*? Et tamen extremo seculo VI. Johannem legimus præfuisse, ut Defensor pugnat, oppidulo Falaritano. Si igitur Leo Epistola sua impetrare non potuit, ut ne postea Episcopus consecraretur in vico Falari, quid mirum, si impetrare nequiverit, ut eodem in oppidulo *Episcopatus* con-

1 *Synod. Loodic. can.* LVII. *tom.* I. *Concil. edit. Hard. pag.* 792. *tom.* I.
2 *S. Joh. Chrysost. in cap.* I. *epist. ad Tit. tom.* XI. *opp. edit. Paris. Monach. S. Mauri pag.* 737. *Episcopos*, inquit, *hic dicit &c.*

constitueretur? Veri sane est similius observatam fuisse consuetudinem Apostolorum ad ætatem Leonis, quibus temporibus canonum magis vigebat auctoritas; quam post obitum ejus Pontificis, dum neque novis canonibus confirmata res fuerit, & sensim imminui cœperit disciplinæ rigor. Præterea quot nos oppidula, quorum veteres Geographi, Historicique (propterea quod eorum tempore non extarent) nusquam meminerunt, nominarique primum septimo seculo cœperunt, ut quæ paulo ante fuissent ædificata; quot inquam ejus generis oppidula fuisse scimus, in quibus post Leonis ætatem Episcopatus instituti fuerint, etsi quo tempore fuerint instituti, non constet? Galesium ecce (quod Defensor in suo opusculo nominat, quodque oppidum ante Anonymum Ravennatem Geographum VII. seculi, aut VIII. memoravit nemo, ut quod ante ea tempora nondum esset ædificatum) nonne Episcopum habuisse liquet? Confer Acta Synodorum Romanarum an. 868. & an. 877. & an. 963. 965. & 969. inque earum Actis ejus oppidi Episcopos subscriptos perspicies. At tempus ignoramus, quo is Episcopatus est institutus. Ex eo igitur, quod ignoremus, quo tempore institutus fuerit Episcopatus Falaritanus, non sequitur, quod Defensor pugnat, Episcopatum eumdem Falaritanum esse Leonis temporibus antiquiorem. Sed oppidum Falaris, inquiet, longe est Galesio antiquius. Non equidem nego. Verum πολίχνη, hoc est *oppidulum* vocatur, ut paulo ante vidimus, a Strabone. Quarto autem, insequentibusque seculis adeo imminutæ ejusdem oppiduli fuerunt opes, ut vix ejus nomen superesse videretur, ut ex Juliani Augusti apud

Am-

Ammianum Marcellinum [1], ex Eutropii [2] exque Jornandis, qui post Leonem floruit [3] testimoniis plane perspicitur. Quot autem ejus generis oppidula non modo ante, sed etiam post Leonis ætatem Episcopis caruerunt? Fori Aurelii, quod ab urbe Tarquinia non longe aberat, ecquis umquam Episcopus fuit? Ecquis Falisci oppiduli quod Strabo nominat, atque a Falerio oppidulo distinguit. Ecquis montis Fisconis, cujus oppiduli monumenta extant sane vetusta? Si ergo perplura fuerunt ante Leonem ejus generis oppidula, quibus episcopus non erat, quid est, quod fuisse Falari, sit concedendum? Documenta igitur certa afferenda sunt, quibus id oppidum Episcopum habuisse ostendatur. At ea monumenta ad extremum fere sec. VII. pertinent. Consistendum igitur Castellanensibus in his monumentis est, Episcoporumque Falaritanorum origo non a tertio seculo est, neque a Leonis temporibus, sed a VII. seculo exeunte repetenda.

§. VI.

XIII. *Ecclesia Hortana longe est Falaritana antiquior.* XIV. *Idque non conjecturis, sed illustribus monumentis evincitur.* XV. *Episcopi Hortani antiquiores Falaritanis recensetur.* XVI. *Etiamsi verum esset Falaritanam sedem fuisse ad Castellanam Civitatem translatam, nihilo minus Cathædra Castellanensis præferenda propter vetustatem non esset Hortanæ.*

XIII. Quæ de Falaritano oppidulo dicta sunt, ea aptari Hortæ urbi non possunt. In urbibus enim Episcopi

F

1 Vide *lib. de Episc. Hort. Antiq. cap.* V. *pag.*98.
2 Vide *supra pag.*21.
3 Confer *pag.* 21. *hujus opusc.*

ſcopi jam uſque ab Apoſtolorum ætate conſtituti ſunt, quod & paulo ante, *&* II. *capite libri de Hortani Epiſcopatus Antiquitate* demonſtratum eſt. Urbem autem, & Coloniam quidem Romanorum fuiſſe Hortam, ut Plinii, & antiquarum Inſcriptionum; ita Scriptorum, qui deinceps viguerunt, ut Anonymi Ravennatis, ut Pauli Diaconi, ut Anaſtaſii auctoritate liquet. Conſule *cap.* I. *libri de Epiſcopatus Hortani Antiquitate.*

XIV. Eccleſiam præterea, hoc eſt coetum Chriſtianorum fuiſſe exeunte ſaltem tertio ſeculo, tum ſcilicet, cum Diocletianus adverſus Chriſtianos ſæviebat, in Hortana Diœceſi: & celebre cœmeterium, quod Boldettus [1], aliique deſcribunt, & Sanctorum Martyrum lipſana quæ eadem in Diœceſi reperta ſunt, plane ſtatuunt. Vide *librum de Epiſcopat. Hort. Antiquit. c.* III. Jam vero urbem, quæ in ſua Diœceſi tot trophæa oſtendit, tamque vetera Chriſtianæ religionis, Epiſcopo tunc caruiſſe, quis credat? Nam ſi auctore Clemente Petri Diſcipulo in Epiſtola genuina ad Corinthios, Apoſtoli, quos primos in quaque urbe ad Chriſtiana ſacra adduxerant, Epiſcopos creabant; ut *cap.* II. *pag.* 13. *libri de Epſc. Hortani Antiquitate* animadvertimus, quid eſt, quod in ea Urbe, in cujus Diœceſi tot erant Chriſtiani, ut cœmeterium etiam obtinerent, Epiſcopum fuiſſe nullum credamus? Quodſi Caſtellanenſes Martyras item habuiſſe Falaritanos dixerint; meminerint Falarim non Urbem, sed πολίχνην, hoc eſt *oppidulum* fuiſſe; neque tuliſſe conſuetudinem Apoſtolorum, ut in *oppidulis* Epiſcopi conſtituerentur.

XV.

1 *Lib.* II. *delle Oſſerv. ſopra i Cimiterj cap.* XIX. *pag.* 590. *ſeqq.*

XV. Neque vero sibi Hortani frustra blandiuntur, dum Episcopos suos nominant Falaritanis vetustiores. Lannus namque Diocletiani temporibus, Leo autem v. aut summum vi. seculo Episcopi fuerunt Hortanorum. Sed hac de re alias. Confer *libr. de Episc. Hortani Antiquitate cap.* III. *&* IV.

XVI. Redit Defensor, ad *Translationem* Falaritanæ Sedis ad Castellanam Civitatem. Eam autem ego plus millies falso esse confictam dixi. Sed fac vera fuerit, Falaritanæque Sedis privilegia ad Castellanensem migraverint; an est idcirco vetustæ urbis, cujusmodi est Horta, Cathedræ anteferenda sedes oppiduli Falaris vi. demum seculo (si quid veri dicit de Johanne Defensor) instuta? Nihil minus.

§. VII.

XVII. *Falso pronunciat Defensor Castellanensium, ante seculum* VIII. *nullos numerari Episcopos Hortanos posse*. XVIII. *Nihil officit Hortanæ Ecclesiæ vetustati, quod Scriptores novi minus vere dixerint, fuisse olim ejus Antistites Johannem Montanum*, XIX. XX. XXI. *& S. Cassianum*.

XVII. Num. 17. Defensor Castellanensium in hanc sententiam scribit: *Orta non può contare con sicurezza i suoi Vescovi se non nel secolo* VIII. *Una tale asserzione non potrà a meno di non comparire alquanto strana ai difensori della Chiesa d' Orta*. Ita est profecto. Non enim videtur modo, sed absurda revera est. Addit porro Defensor: *Ma speriamo, che tale a loro non sembrerà, fatto che ne avremo il confronto*. Scio cujusmodi

 di

di illud sit, quod *confronto* vocat. Jam hoc ei prædico, ejusmodi *confronto*, quod jactat, me quoque esse demonstraturum *che Falari non può contare con sicurezza i suoi Vescovi, se non nella fine del* VIII. *secolo*. Sed hac de re omni paulo post agam. Nunc mihi, quæ Defensor num. XVIII. seq. disputat, persequi placet.

XVIII. Fateor equidem, evinci nullo documento posse, Johannem Montanum IV. seculo Episcopum fuisse Hortanorum. Sed nihil inde commodi Castellanensibus licet capere. Quam multa de primis suis Episcopis Mediolanenses, Aquilejenses, Florentini, Fesulani, Lucenses produnt, quæ nullo illustri documento confirmari possunt? An idcirco de earum Ecclesiarum vetustate, quæ certe permagna est, detractum quidquam, defendet esse Patronus Castellanensium? Non est igitur, cur Johanne Montano e serie Episcoporum Castellanensium deleto, quod nos etiam ipsi fecimus, evertere se antiquitatem Hortanæ sedis confidat posse.

XIX: Idipsum de s. Cassiano statuendum est, quem ne ego quidem in Hortanis Episcopis numeravi. Quare mitto, quæ numeris XIX.XX, XXI. Defensor complexus est, ut S. eumdem Cassianum ex serie excluderet Antistitum Hortanorum. Sed mirari satis non queo, quod Defensor numero XVIII. animadvertit. Nam de monumento (quo unus aliquis fortasse nixus Johannem Montanum Episcopum fuisse Hortanorum statuit) loquens: *Se fosse mai*, inquit, *documento scritto dopo il nono, o decimo secolo, quale autorità potrebbe egli mai fare, sapendo noi quanto in quei tempi lavorossesi d' invenzione, quante favole siensi ritrovate, quanti Atti di Santi Martiri sieno stati fabbricati di peso, o corrotti*

con

con mille racconti bugiardi, appunto per la vana gloria, che aveasi da taluni di far comparire una Chiesa a preferenza dell' altre illustre, e splendida o per antichità de' suoi Vescovi, o per il merito de' suoi Martiri. Hæccine Defensor Castellanensium adversus Hortanos audet scribere? is qui Acta Translationis Corporum SS. Martyrum Abundii, & Abundantii post x. Seculum Scripta, plenaque fabularum protulit, ut Crescentium resedisse efficeret in Ecclesia Civitonicorum? Sed ita est institutus, ut quæ Hortanis favent, respuat; quæ contra Castellanensibus, etsi falsa, fabulosa, absurda sint, esse cuique probanda putet.

§. VIII.

XXII. *Leo Episcopus Hortanus* v. *aut summum sexto seculo floruit.* XXIII. *Martinianus* vi. *seculi Episcopus Hortanus, non Hortanensis fuit.*

XXII. Jam S. Lannum, qui sub Diocletiano decessit, Epyscopum fuisse Hortanorum ostendimus cap. III. libri de Episcopatus Hortani Antiquitate. *pag.*17. *seqq.* & *pag.*36. *seq.* Atque id quidem majorem in modum confirmari iis, quæ Defensor concedit, potest. Nam si ob Inscriptiorem Leonis, quæ in Ecclesia Cathedrali Castellanensi est, inventa, ut ille putat, in Civitate Castellana [1] Castellanensis Dioeceseos Episcopum fuisse Leonem contendit; cur non item nos Lannum Episcopum fuisse dicemus Hortanum ob inventum corpus ejus Martyris, Inscriptionemque in Dioecesi Hortana? Verum quid ego Defen-

1 Vide *supra pag.*27.

fensorem Castellanensium memoro? Annon etiam (praeter ea, quae protuli *cap.* III. *libri de Hortani Episcopatus Antiquitate*) exempla Nolanae Ecclesiae rem eamdem efficiunt?

Undenam enim constat *Quodvultdeum* Episcopum Nolanorum fuisse? Annon ex illa inscriptione, quam affert, praeter ceteros, Remondinius *lib.* II. *Hist. Eccles. Nolan. cap.* XX. *pag.* 479. *Edit. Neap. an.* 1747. quaeque in nescio quo pariete posita cernitur Nolae? Neque vero *Nolanus Antistes* eo in monumento fuisse scribitur. Ecquis praeterea umquam negavit, Priscum episcopatum Nolae obtinuisse? Id vero, maxime hoc monumento, efficitur.

† HIC REQUESCIT SCE MR †
PRISCVS. EPISC. IN PACE
DPS. V KL. MART. FL. MAXIMO V. C. CON.

In hac vero tabula posita an. CCCXXVII *Nolani* Episcopatus nulla fit mentio. Vide Remondinum *ibid. c.* XXV. *p.* 513. Considerent modo Lectores ut τὸ DPS. sine punctis scriptum sit, quod etiam cernere in Inscriptionibus Reparati, & Aureliani licet, quas idem affert Ramondinius *ibid. p.* 510. cum tamen τὸ D. P. S. alibi punctis interjectis scriptum ostenderim [1]. Et quoniam Aureliani facta commemoratio est, hujus quoque epigramma sepulcrale est afferendum, quod item caussa, quamobream ille in seriem Episcoporum Nolanorum referretur, fuit; quamquam in eo epigrammate Nolani Episcopatus ne vestigrum quidem extet.

† CPS.

1 *Lib. de Hort. Episc. Antiq. cap.* III. *pag.* 26.

+ DPS. SANC. M. DMN
AVRELIANI. EPISC. IN. PACE
QVI. BIXIT. ANNS
PL. M. LXXX
SEDIT. ANN. XXXVIII.
DP. ES. OCTABV. KAL. AVG.

Sed nolo eſſe longus. Itaque mitto cetera. Venio ad Leonem Hortanum Antiſtitem. Hujus eſt a me productum epitaphium *cap.* IV. *pag.* 38. *lib. de Epiſcopatus Hortani Antiquit.* Ex forma autem characterum, exque *ſimplici* ratione, qua ſcriptum, expreſſumque eſt, multis quidem adhibitis exemplis, ad V. aut ſummum ad VI. ſeculum pertinere illud animadverti. Addo, Fortaſſe etiam, ad IV. Nam ſimplex ſcribendi ratio τοῦ *hic requieſcit, in pace Leo Epſ. ſedit. an.* XXIII. *&c.* iis tribus ſeculis maxime in uſu fuit, ſequentibus autem non item.

XXIII. Deſcendo ad Martinianum, quem extremo ſeculo V. & ineunte VI. floruiſſe, Annoque 502. ſubſcripſiſſe ſynodo Romanæ conſtat multoque proinde antiquiorem fuiſſe Johanne illo, quem primum Falaritanorum Defenſor Caſtellanenſium nominat. Confer, quæ ſcripſi *lib. de Epiſc. Hortani Antiqu. cap.* IV. *num.* 2. *pag.* 33. At magnas hic oriri difficultates Defenſor prædicat. Nam Crabius, inquit, in *Edit. Concilior. Colonienſi an.* 1551. *T.* I. *pag.* 1006. Surius *Edit Concilior. Colon. an.* 1567. *T.* II. *p.* 333. Binius *T.* II. *Concil. p.* 527. *Labbeus Tom.* IV. *Edit. Paris an.* 1638. qui Ortenſi legunt, ad marginem animadvertunt variam lectionem extare in uno aliquo Codice, quæ ferat non *Ortenſis*, ſed *Ortonenſis*. Ortona autem in ditione Nea-

Neapolitana eſt, non in Etruria vetere. Jam hoc vel pueri ipſi norunt. Illud miror, quod cum a quatuor collectoribus Synodorum (qui codices veteres perplures conſuluerant, eoſque inter ſe contulerant) lectionem *Hortenſis* probatam, *Ortonenſis* vero reprobatam, atque in marginem proinde rejectam viderit; nihilofecius (etiamſi ipſe ne unum quidem Codicem legerit) quam illi reprobarunt, admittendam; quam vero illi admiſerunt, reprobandam lectionem putarit. Quid vero eſt, niſi hoc contentionis agere ſtudio eſt, non veritatis? Neque ii quatuor, quos diximus ſolum, ſed Harduinus etiam, ipſam lectionem *Hortenſis* probavit, quodque conſiderandum imprimis eſt, diligentiſſimus Balutius, quod ad *Hortenſis* appellationem pertinet, nullam ſe varietatem in Codicibus Colbertinis deprehendiſſe teſtatus eſt. Sed contra Defenſor pugnat. *Come*? inquit. *Perchè ne' Codici Colbertini, che più non ſono di quattro, non ha trovato il Baluzio lezione variante, e questo ancora con qualche dubbio, ſi ha da decidere ſenza appellazione, che deve leggerſi Ortenſem, non Ortonenſem Epiſcopum*? Quod nobis dubium hic predicat? An hæſitat Balutius? Nihil minus. Quid igitur eſt, quod Defenſor jactet: *E queſto ancora con qualche dubbio*. Deinde tam ne eſt immemor ſui, Defenſor Caſtellanenſium, ut qui contentus ante *quinque* ſcriptoribus fuerat [1], & novis & ab Antiquorum ſententia diſcrepantibus, quo Falerium vetus in Caſtellanam Civitatem transferret; nunc ſex ipſis contentus non ſit, qui *Ortenſis* legunt, lectionemque *Ortonenſis* rejiciunt in marginem; & non ſolum his collectoribus ſtandum non putet, ſed ne quatuor qui-

1 Vide *ſupra pag.* 7. *num.* 11.

quidem antiquis Codicibus Colbertinis? Quis est hominum artis criticæ peritorum, qui hæc tam absurda in eo ferenda arbitretur, qui criticam ipsam artem profiteatur? *Ma tanti altri Codici*, inquit, *che non possono essere pochi, giacchè tanti diversi Scrittori di diversi paesi, dov' erano, ne devono avere veduti varj, e differenti, nè quali si legge Ortonensem, e non Ortensem; tutti ad uno, ad uno devono essere disprezzati?* Ecquis huic dixit, varios eos, pluresque Codices vidisse, in quibus esset *Ortonensis*? An si *multos*, *variosque* vidissent, lectioni *Ortonensis* lectionem *Ortensis* prætulissent? Cum ergo τὸ *Ortensis* omnes probaverint, τὸ *Ortonensis* vero rejecerint in marginem, annon argumento est, τὸ *Ortensis* eos in pluribus, accurationibusque Codicibus legisse, τὸ *Ortonensis* autem in paucis, iisque minus accuratis? Alioqui quæ ars eorum critica fuisset, si quod in pluribus, accurationibusque legerant, rejecissent? At Merlinus habet *Ostensis*. Recte id quidem. *Ortensis* igitur legendum est, non *Ortonensis*. Nam facilius τὸ *Ortensis* in *Ostensis*, quam in *Ortonensis* a librariis converti potest. Deinde nil mirum. Nam corruptissimo Codice usus est Merlinus. Quod enim nomen in ceteris Codicibus *Martinianus* legitur, id in Codice Merlini *Martianus* est. At Harduinus in *vetustissimo Dionysii Codice* legi *Augustensis* scribit. Non nego. Sed quam ille lectionem probat? τοῦ *Ortensis*. In ceteris igitur Codicibus, quibus fidendum esse judicarat, quibusque multis est usus, atque optimæ notæ; *Ortensis* legerit necesse est. Cur igitur in tanta Codicum a tot Collectoribus & criticæ artis peritis visorum, interque se collatorum multitudine, ei lectioni standum putat esse, quæ in paucis, iisque minus

nus diligenter deſcriptis extat? Sed Hortona inquit, *era città allora più celebre*. Quid hoc ad rem? Deinde quibus auctoribus evincet Hortonam ea ætate fuiſſe celebriorem. Neminem nominat. Egone igitur neminem veterum nominanti credam, non credam autem *Paulo Diacono*, non *Anaſtaſio Bibliothecario*, qui cum, a Beliſario medio eodem ſeculo, cujus initio Martinianus floruit, extructum Noſocomium juxta civitatem Hortas ſcribit, cumque extremo eodem ſeculo Hortam ipſam cum Ameria, Tuderto, Peruſia nominat, celebrem fuiſſe demonſtrat? *Vide lib. de Epiſcop. Hortani Antiquit. cap.* I. *num.* IV. *pag.* 8. *&* 9. Verum: *Non ſi pretende*, inquit, *quì di giuſtificare la verità di tali paeſi, ſolo pretendeſi di far vedere, che il preteſo Ortenſis non è lezione sì certa, che da queſto Martiniano poſſa con certezza aſſicurarſi il principio della ſerie de' Veſcovi Ortani*. Ita ne vero? Verumtamen ſi id non contendit, cur *num.* XIV. *pag.* 25. ſcripſit: *La Chieſa Ortana pretende come ſuoi Veſcovi i Veſcovi Ortoneſi: Noi faremo vedere a ſuo ſuo luogo, che queſti Veſcovi Ortoneſi non ſono di Orta, ma bensì d'Ortona*? His verbis ſe confecturum affirmat, quod modo ſeſe demonſtrare voluiſſe negat. Sed ita eſt homo: eorum, quæ ſcripſit, facile obliviſcitur.

Age vero, quoniam hic verbis Harduini, & variis lectionibus ab Harduino tamen in marginem rejectis, ac proinde reprobatis abutitur, videamus an Julianus certo dici Epiſcopus poſſit Falaritanus, ejus nempe Falaris, que prope ab Civitate Caſtellana diſtat. In Indice igitur Geographico Epiſcopatuum Harduinus *ad litt.* F. ſic habet: *Falaritanus in Piceno olim Faleroni. Plinn. lib.* III. *ſect.* XVIII. *Falarienſes. Caroſus Faralitanus... Creſcentius... Harduinus... Johannes Falerinus*

rinus in Concil. Rom. an. 595. Johannem igitur In *Piceno* Episopum fuiſſe Harduinus, non in *Tuſcia* exiſtimavit. Quid Curatores poſtremæ Editionis Venetæ Conciliorum? Idipſum omnino quod Harduinus? Iiſne igitur repugnabit Defenſor Striptoribus novis,quorum adeo delectari auctoritate ſolet? At Falerionis incolæ Falerionenſes, vel Faleronenſes, non Falerienſes, vel Falerini, vel Falaratini vocari debuerunt. Emendet Defenſor Domitianum Auguſtum, cujus extat Inſcriptio apud Fleetvoodum *p.* 101. *Inſcript. Edit. Londin. an.* 1691. in qua ſic habet: FALERIENSIUM EX PICENO. Et paulo poſt FALERIENSES ET FIRMANOS. Rurſum A FIRMANIS ADVERSUS FALERIENSES. Quid? ſi *Falarienſes* Plinius Falerionis incolas, *loco modo ab Harduino indicato*, vocet? An corrigi ab ſe Defenſor inſcriptiones veteres, veterumque Scriptorum loca putat poſſe? At Falerionenſes, inquit *pag.* 45. appellandi ſunt? Quibus id teſtibus antiquis efficiet? Nullo certe quod ſciam. Itaque Domitiano, Plinioque aſſentiri, quam huic novo omnia, Caſtellanenſis Cathedræ cauſſa ſuo arbitratur immutanti, atque turbanti. Jam vero ſi *Falerienſes*, & *Falarienſes* appellati Falerionis cives fuerunt, non equidem intelligo, cur non item vocari *Falerini*, & *Falaritani* potuerint. Nam cum qui *Nicæenſes* iidem, Nicæni; qui Antiochenſes, iidem *Antiocheni*; & qui *Abrincenſes*, iidem *Abrincitani*; ut multis exemplis veterum demonſtrari poteſt, appellati ſint, quid cauſſæ erit, quamobrem qui *Falerienſes*, & *Falarienſes*, iidem *Falerini*, & *Falaritani* dici nequiverint? Igitur cum Johannes extremi ſeculi VI. & ineuntis VII. Epiſcopus in Collectione Harduiniana *t.* III. *p.*498. in *Synodo an.*595. *Falerinæ* ſe (non *Falarine*, quod Defenſor

pag. 43. ſcribit) cumque in Synodo *Romana an. 601. tom. eod. p.* 540. Falaritanæ Eccleſiæ Epiſcopum ſeſe dixerit, nulla erit ratio, cur non ſit Falerionis Antiſtes exiſtimandus. Atque erat præterea urbs illuſtris Falerionis, quod Muratorius animadvertit Theſauri Inſcriptionum *t.* II. *pag.* MXLVII. *n.*2. *in Adnot.* cum Falaris vix ea ætate, ut Defenſor fatetur, oppidum dici poſſet. Quod ſi Hortanos Epiſcopos, Ortonenſes potius fuiſſe paulo ante affirmavit, propterea quod Ortona urbs celebris ea eſſet ætate, idipſum modo de Falaritanis Falerioni attribuendis fateatur neceſſe eſt.

Sed opponit Defenſor, quod ad Epiſcopum Falaritanum Johannem Falari in Tuſcia non Falerioni in Piceno attribuendum pertinet, *queſto eſſere il conſenſo uniforme di quelli, che hanno parlato di queſto Veſcovo; fra i quali Carlo da S. Paolo.* Unum nominat Carolum a S. Paulo, & nihilominus jactat, *queſto eſſere il conſenſo uniforme*, Ego vero Harduinum, Curatoreſque diligentiſſimos editionis Conciliorum Venetæ nominavi, qui Johannem Eccleſiæ addicunt *Faleriani*. Non ergo tam eſt uniformis ea, quam jactat conſenſio. Sed quoniam ad conſenſionem novorum Scriptorum confugit, afferat unum ſi poteſt, qui Leonem Hortanum non ſeculo V., ſed poſt floruiſſe dixerit? Seculo V. Ughellus, quinto Fontaninius, qui de Epiſcopis Hortanis ſcripſerunt, eum Antiſtitem Epiſcopatu fuiſſe potitum teſtantur. Rurſum nonne Ughellus, Fontaninius, Harduinus, Curatores editionis Venetæ Conciliorum in Indice Geographico, Editoreſque tam multi Actorum Synodicorum, quos ſupra commemoravimus, Martinianum Epiſcopum fuiſſe Hortanorum, rejecta lectione τῦ *Hortonenſis*, ſtatuerunt?

Quid

Quid ergo eſt, niſi ſtudium partium, quod efficiat, ut Scriptorum conſenſio nihil apud Defenſorem; unius autem Caroli a S. Paulo tantum auctoritatis obtineat?

Sed *nel Concilio dell'anno 595. non trovaſi ſottoſcritto alcun Veſcovo del Piceno, laddove trovanſi ſottoſcritti molti vicini a Falari; ed eſſendo il Concilio celebrato in Roma per ragion di buona critica deve ſupporſi, che i Veſcovi intervenuti ſieno i più vicini, non i più lontani alla medeſima*. Hoc reſtat ut is criticus *Tauromenium* non in Sicilia, ſed in Tuſcia fuiſſe defendat. Nam longius Roma urbs illa Sicilienſis, quam Falerion Picentum abeſt; &, præter Tauromeniæ Epiſcopum, Sicilienſium Antiſtitum nullus eidem Synodo ſubſcripſit. *Secundinus*, ſic enim *ibid.* legitur, *Epiſcopus Civitatis Tauromeniæ*. Quid? Ravenna propinquior ne eſt, quam Falerion Picentum Romæ? Minime gentium. At e Provincia Flaminia unus is Antiſtes Synodo eidem ſubſcripſit, hoc modo: *Marinianus Epiſcopus Ravennæ*. Quærat, ſi poteſt, Ravennam in Tuſcia Defenſor. Alioqui, ut ſeſe tueri queat, non video.

Sed ſeculo (*inquit*, pag. 44.) VII. ſub Agathone Epiſcopi erant Falaritani in Tuſcia. Verum de hac re paulo poſt videro. Redeo ad Antiſtites Hortanorum.

§. IX.

XXIV. *Ubaldus Episcopus Hortanorum non fuit.* XXV. *Blandus tamen, qui s. Gregorii Magni temporibus floruit, Hortano, non Hortonensi Episcopatu potitus est.* XXVI. *quem sequuti Julianus, Mauriciusque fuerunt.*

XXIV. De Ubaldo, quem Ughellus in seriem Hortanorum Antistitum retulit, non laboro. Nullam enim illius fieri video in monumentis Ecclesiasticis mentionem.

XXV. Ad Blandum venio, de quo plura *lib.* I. *De Hortani Episcopatus Antiquitate cap.* IV. *pag.* 44. *seq.* disputata sunt. Hunc item Ecclesiæ Hortanæ adimere conatur Defensor; tametsi ab s. Gregorio P. M. *lib.* I. *epist.* XXXIII. *edit. Paris. Monachor. S. Mauri an.* 1705. *pag.* 521. *Hortensis* Episcopus appelletur. Verumtamen in tribus Codicibus Vaticanis legi *Hortonensis* Maurini animadvertunt. Jam huic argumento satis a me esse factum lector perspiciet, si legerit *lib. de Episc. Hort. Antiq. pag.* 45.

Addit Defensor: *Si dichiarano i Maurini, ch' egli era vescovo d' Ortona, e non d' Orta. Eccone un riscontro, che non ammette risposta: Facendo le note alla lettera* 41. *del lib.* IV. *Indiz.* 12. *col.* 721. *che ha questo titolo:* „ Gregorius Clero, Populo, Ordini, & Plebi con- „ sistenti Hortonæ „ *in cui scrive della morte del loro Vescovo, prima parlano delle Città, e pongono questa nota del Gussanville:* „ vulgo Hortona olim samnii in ora „ maris Adriatici distans a Theate 12. mill. in ortum: „ nunc Aprutii citerioris in regno Neapolitano adhuc

„ Epi-

„ Episcopalis sub Archiepiscopo Theatino „ *poi parlando del Vescovo, e cercando qual fosse .... assolutamente asseriscono, che appunto era quel Blando &c.*

In majore certe, atque emendatiore Codicum parte *Hortensis*, est non *Hortonensis*. Nam si secus res sese haberet, numquam in *textu* Maurini τὸ *Hortensis* retinendum, inque adnotationem rejiciendum τὸ *Hortonensis* putassent. Nego autem τὸ *assolutamente asseriscono*. Nam qui conditione adhibita: *Si tribus vaticanis fides* scribunt, ii *non assolutamente*, sed *conditionatamente* scribunt. Quamobrem fidem hac in re Defensoris desidero. Jam vero, ut *assolutamente*, *si tribus vaticanis Codicibus fides* dixerunt, ita certe ratio postulabat, ut *assolutamente* dicerent *si Remensi Codici & uni Vaticano fides*, eam epistolam ad *Hortonæ Clerum* non pertinere ad *Hortonenses*, sed ad *Crotonenses*, adeoque Blandum ad *Hortonenses* non pertinere. Nam *pag.* 721. *not. a. In Remensi*, ajunt, *& uno e Vaticanis legitur* Crotonæ. Retinent tamen ipsi *Hortonæ* in textu, cum ita in pluribus codicibus Legatur. Sed perinde in *Textu*, ubi de Blando agitur, τὸ *Hortensis* retinuerunt. Hanc igitur Lectionem probarint, necesse est, quod ita in pluribus, emendatioribusque codicibus reperissent. Quæ numero XXVI. Defensor persequitur, ea mihi nihil exhibent negotii. Nam iis loco modo indicato *lib. De Hortani Episcopatus Antiquitate* cumulate me arbitror satisfecisse.

XXVII. Sequitur, ut de Juliano, & Mauritio dicam; quorum alter Synodo Lateranensi *an.* 649. alter Romano Concilio *an.* 743. interfuit. Julianum igitur de quo egimus *pag.* 46. *Libri De Episc. Hort. Antiq.* Epi-

Episcopum fuisse Hortanorum non negat. Idipsum concedit de Mauritio. *Si lasci pure l' Ortano*, inquit, *e sia pure questo Giuliano col seguente Maurizio Vescovo d' Orta in Toscana*.

At Nonnihil tamen esse defendit posse, quod impediat, quin in certis Hortanis Antistitibus numeretur. Il *Lucenti*, inquit, *per altro ha del primo di questi avvertito, che alii codices habent Hostano, e in fatti così aveano stampato il Binio, e il Labbè, ed altri, e il Labbè avea posto Hortano per varia lezione*. Sed hæc cavillandi caussa opponuntur. Nam iidem ipsi Binius, Labbeusque, confitente Defensore Civitonicorum, errorem emendarunt suum. Nam τὸ Hostanum, Holstenius, aliique esse errorem pugnant. Ac Interpres quidem Actorum Synodi Græcus, qui sane antiquus est, Julianum ὁρτῶν Antistitem costanter vocat. Vide T. III. *Concilior. Edit. Hard. pag. 690. & pag. 928.* De Episcopis Hortensibus reliquis, nihil se habere Defensor indicat, quod opponat.

§. X.

XXVIII. *De Episcopis Falaritanis.* XXIX. *Iohannes Episcopus Falaritanus Falerionis, ne an Falaris Ecclesiæ præfuerit, non costat.* XXX. *Quod ipsum est de Caroso dicendum.* XXXI. *Iohannes alter seculi* VII. *Falaritanus in Tuscia Antistes posterior est Iuliano Hortano.*

XXVIII. Multis me arbitror ostendisse §. Superiore, Johannem Falaritanum qui primus in monumentis Ecclesiasticis memoratur, in Antistitibus certis Falaritanæ in Tuscia Ecclesiæ numerari non oportere.

Sed

Sed quoniam Defensor *pag.* 44. *seq.* ex Actis Translationis corporum SS. Abundii, & Abundantii MM. quæ plena esse ostendimus fabularum, exque subscriptione alterius Johannis, qui anno 680. Episcopum *se Falaritanum Provinciæ Tusciæ* nominavit, Cathedram Falaritanam in Tuscia fuisse concludit, idque jam constare de *Falerionis* Catthedra negat, proindeque Johannem Falaris, non Falerionis Præsulem fuisse contendit; danda est opera, ut vere ne defendat, an contra atque veritas postulet, liqueat. *Falerionis* Ecclesiam *Cathedralem* fuisse demonstrat *Rescriptum Gelasii Papæ* I. ad *Respectum, & Leontium Episcopos*, quod Harduinus transtulit in Tomum II. *Concilior. pag.* 928. Id monumentum nemini unquam scriptorum suspectum falsitatis fuit. In genuinis ponitur ab Harduino. Quinetiam Baronius hoc, aliisque documentis adductus *Falerionem* Cathedram obtinuisse Episcopalem scripsit. Huic est assensus Fontaninius. Neque ulla est caussa, aut ullum indicium, cur id monumentum in spuriis haberi debeat.

XXX. Nihilosecius Defensor, Castellanensibus rem gratam facturus, esse illud fortasse dubium jactitat, nulla habita consensionis Scriptorum, cui plurimum alibi tribuit, ratione. Equidem ei nisi caussam aliquam, quamobrem sit in dubiis ponendum indicet, numquam assentiar. Quod si ingratiis id sibi concedi volet, eo nos demum impellet, ut subscriptionem *Iohannis Falaritani Provinciæ Tusciæ* dubiam item dicamus esse. Cujus quidem dubii de eo genere subscriptionis hæc saltem afferi caussa potest, quod ea ratio subscribendi sit rarior. Jam *Acto translationis corporum SS. Abundii*, *& Abundantii* nemo ambigit, quin referta sint fabulis.

Verum-

Verumtamen dat, Defenſor, quod volo. Concedit Eccleſiam Falerionis fuiſſe Cathedralem, ſed negat ejus urbis Epiſcopos *trovarſi, che ſieno ſottoſcritti* CON SICUREZZA *Epiſcopi Falaritani*. Siccine agit? Quia id oſtendi *con ſicurezza* non poteſt, idcirco *Iohannes Epiſcopus fuit Falaris*? Oſtendat igitur ille *con ſicurezza* Martinianum, & Blandum Epiſcopos fuiſſe Hortonenſes. Cum autem ſe *con ſicurezza* facere id nequire concedat, hoc demum ſequatur neceſſe eſt, ut Martinianum, ac Blandum Hortanos fuiſſe Antiſtites confiteatur. Quod ſi ſatis illi inanis dubitatio fuit, ut Martinianum, Blandumque in incertis Epiſcopis Hortæ poneret, ſatis etiam nobis erit dubitatio non inanis, ut Johannem I. in incertis Falaritanæ in Tuſcia Sedis Antiſtitibus numeremus. De Caroſo, qui anno 749. ſubſcripſit Synodo Lateranenſi, idem eſt, ac de Johanne conſtituendum.

XXXI. De Johanne II. non laboro. Fuerit ille Epiſcopus non Φαλάρεως, quod Defenſor ſcribit, ſed Φαλάρεως in Tuſcia. Eſt enim, ut qui an. 679. Synodo Romanæ ſubſcripſerit, Juliano recentior, quem Julianum Defenſor anno 749. Epiſcopatum Hortanum obtinuiſſe fatetur.

Atque ex iis quidem omnibus, quæ hactenus diſputavimus, Epiſcopatum Hortanum vetuſtiſſimum eſſe; contra autem Falaritanum non tam eſſe antiquum conſtat. Quod ſi eſſet, nihil tamen præſidii, ab eo Caſtellanenſibus petere liceret, propterea quod Epiſcopatum Falaritanum in urbem Caſtellanam fuiſſe tranſlatum nemo uſquam veterum memoriæ commendaverit.

F I N I S

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Pat. Mag. Sac. Pal. Ap.

F. M. de Rubeis Patriar. Constant. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Ord. Præd. Reverendiss. Pat. Mag. Sac. Pal. Apost. Soc.

AMACH
DE HORT
EPISCOP